

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
XXXIV**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
IV PARS
H B A, B 2, 1525-30**

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXTINGUETUR

R O M A E 1 9 7 5

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituant*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani* (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1974

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. Lisowski, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).
- Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA-DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.
- Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.
- Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.
- Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Coll. W. WYHOWSKA-DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
XXXIV**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
IV PARS
H B A, B 2, 1525-30**

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA



NON EXTINGUETUR

R O M A E 1 9 7 5

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

I N D E X R E R U M

Introductio	VII
Bibliographia selecta	XI
Textus documentorum	3
Elenchus epistolarum	211
Index personarum et locorum	219
6 tabulae	231

INTRODUCTIO

Hoc praesenti volumine incipimus publicationem novae seriei epistolarum, quae ex Polonia ad Albertum et Albertum Fridericum in Prussia duces mittebantur, et quae nunc in Archivo Regiomontano (post bellum Gottingam translato) custodiuntur. Seriem primam, signatam H(herzogliches) B(rief) A(rchiv), Polen B 1, continentem scilicet epistolas regum et reginarum Poloniae ad eosdem duces missarum, in tribus voluminibus edidimus (scil. El. ad Fontium Editiones, XXX, XXXI, XXXII); quae scripta annos 1525-1572, i. e. a Ducatus in Prussia fundatione ad mortem Sigismundi Augusti, ultimi ex stirpe Iagellonica Poloniae regis, comprehendebant.

Nunc vero accedimus ad editionem secundae seriei documentorum, ad idem temporis spatium pertinentium, quae a pluribus auctoribus scribebantur, et in Archivo deposita sunt sub titulo «Geistliche und weltliche Grosse». Agitur scilicet de epistolis a proceribus Poloniae spiritualibus et saecularibus in aulam Regiomontanam missis.

Non primi sumus, qui editionem huius fere immensae molis documentorum tentavimus. Iam ante bellum a. 1914-18 gestum, Academia Scientiarum Polona publici iuris facere statuit ex eadem collectione epistolas selectas, quarum circiter 300 a Ludovico Bąkowski (qui tamen in illo bello perit) descriptae erant. Postea etiam res tentabatur, editio tamen ad exitum non est deducta. Descripta exemplaria Cracoviae conservantur. His exemplis, difficultibus temporibus, utebantur tam Actorum Tomicianorum editores, quam singuli rerum gestarum studiosi.

Nos (regulis nostris hucusque observatis fideles) non selectionem documentorum publicamus, sed totum hoc copiosissimum epistolarium (H B A, Polen B 2) edere constitutus. Sed sicut in serie prima, ita et hic, epistolas de rebus publicis tractantes in extenso, de privatis vero — solummodo in regestis ponimus. Documentorum etiam iam alibi editorum (v.g. in Actis Tomicianis) nonnisi regesta adducuntur.

Quod ad decisionem attinet, quae epistola in extenso publicanda sit, cuius autem nonnisi regestum ponendum, de difficultatibus hac cum re coniunctis iam in primo volumine documentorum ex Archivo Regiomontano scribebamus (vol XXX).

Argumenta, quae in epistolis ex serie B 2 tractantur, perplurima sunt. Omnia tamen, tam ad res Polonas quam totius Europae pertinentia, tam de minoris momenti negotiis privatis quam de querelis et gravaminibus, contra officiales ducis factis, tractantia, in unum coniungit persona Alberti in Prussia ducis. Mirum sane est, quam magnus fuerit numerus rerum, de quibus scire desiderabat, de quibus incessanter et accurate edoceri cupiebat, non solum de iis, quae in Polonia gerebantur,

sed etiam de omnibus, quae ad Regni Poloniae amplissimas tunc temporis relationes cum aliis Europae statibus et populis pertinebant. De rebus omnibus eius Regni, cuius insigne membrum et senator recens factus erat, non solum de iis, quae cum Ducatu Prussiae quodammodo erant coniunctae, sed de omnibus in genere, certior fieri avide desiderabat.

Dux Albertus, ut ex plurimis scriptis clare sequitur, totius huius epistolarii, ut ita dicamus, erat spiritus movens. Maior enim pars epistoliarum nil aliud est, nisi responsa procerum Polonorum ad eius litteras et ad interrogations in ipsis contentas. Tunc demum, cum et epistolae Alberti ducis in Poloniā missae, id est altera pars huius copiosissimi litterarum commercii, in lucem edentur, possibile erit melius et plenius cognoscere cum ipsam mentem ducis, quam de Regno Poloniae habebat, tum et eius in eodem Regno positionem.

Hoc praesens volumen complectitur annos 1525-1530, annos videlicet, quibus in tota Europa res maximi momenti gerebantur. A. 1525 commissa erat pugna ad Papiam, a. 1526 exercitibus Hungaricis maxima clades a Turcis illata erat ad Altinum (Mohács), a. 1527 Roma devastata erat. Quae omnia in documentis hic publicatis quodammodo resonant et reperciuntur. Quod ad Poloniā attinet, maximum pro ea pondus habuit pugna Altinensis. Propterea rebus Hungaricis in hoc epistolario non parum loci dedicatum est.

Regnum Hungariae tunc temporis erat theatrum gravissimorum et tristissimorum eventuum, qui procul dubio pro tota Europa, ob periculum scilicet Turcicum, permagni erant momenti, maxime tamen ad Poloniā pertinebant, non solum ob eius cum Regno Hungariae vicinitatem et commune periculum Ottomanicum, sed etiam ob arctissima vincula dynastica, quibus haec duo Regna adinvicem erant coniuncta, nam ad a. 1526 in Hungaria regnat Ludovicus Iagellonicus, regis Poloniae ex fratre nepos. Postea vero, post tristissimam regis Ludovici mortem, duobus existentibus aemulis ad coronam Hungariae aspirantibus, Ioanne Zpolya et Ferdinando Habsburgico, Sigismundus I rex Poloniae in hac aemulatione non semel munere mediatoris et arbitri fungitur. Hic quoque ex una parte agebatur de periculo Turcico, ex altera tamen difficultis et valde implicata quaestio relationum, Regno Poloniae cum Domo Austriaca intercedentium, ad summam hac in re cautelam et ad maximam prudentiam regem Poloniae inducebat.

Res ceteroquin eo difficilior apparebat, quod Zpolya erat gener Sigismundi et bene in se inclinatam habebat reginam Bonam Sforiam, Domui Austriacae hostilem. Res Hungaricae duci Alberto praecipue cordi sunt, nam hic et de fratribus sui Georgii et propriis ipsius negotiis agitur.

In Hungaria gerebantur etiam res Francisci I Regis Christianissimi, qui cum Turcis quoque societatem quaerebat, dummodo victoriam reportare posset de Carolo V et de fratre eius Ferdinando, cum quibus fere toto vitae sua tempore pugnare non cessabat. Hae omnes personae, quae temporibus illis primas sine dubio partes in Europa agebant, in epistolis hic editis semper emergunt et, directe vel indirecte, quasi praesentes adsunt.

Permulti in serie B 2 sunt epistolarum scriptores; aliter quam in praecedentibus voluminibus, ubi nonnisi reges et reginæ (interdum et reginulae) ad ducem in Prussia scribebant, invenimus in hac collectione personas variae conditionis, gradus, auctoritatis, gravitatis, incipiendo a veris Poloniae et Lithuaniae proceribus, usque ad personas inferioris gradus, non primas in Republica dignitates obtinentes, ex. gr. secre-

tarios et aulicos regios, qui saepe etiam factorum (« agentium ») et informatorum ducis munere fungebantur, deinde personas privatas, quae in negotiis suis privatis ad ducem se conferebant.

Inter primos, qui ad ducem scribunt, non solum quoad auctoritatem personae, sed etiam quoad quantitatem scriptorum, procul dubio numerandus est Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius. Cuius ipsae epistolae, quamquam non raro non parvi sunt ponderis et momenti, non semper in scriptis a cancellario missis primum obtinent locum. Solebat enim ad epistolas a se scriptas adiungere exempla litterarum et relationum, quas a variis personis, tam ex Regno quam ab exteris regionibus, accipiebat, et quae non semel maioris momenti ac plures notitias et informationes continent, quam epistolae ipsae; in huiusmodi enim annexis narratur de eis, quae in Hungaria, in Moldavia, in Valachia, in Turcia geruntur, quae in Imperio, in Gallia, aliquando etiam in Anglia, in Dania, in Moscova eveniunt. Cancellarius cum duce arctissimis amicitiae vinculis coniunctus est, intercedit inter eos foedus fraternitatis, a duce cancellario oblatum; non desunt itaque in epistolis mentiones rerum et eventuum privatorum, familiarium, personalium.

Regni vicecancellarius et episcopus Cracoviensis, Petrus Tomicki, etiam saepe ad ducem scribit, ex officio certiores eum reddens de iis praesertim, quae in ipso Regno geruntur. Mutuae relationes inter episcopum Cracoviensem et ducem in Prussia etiam optimae sunt, licet minus arctae et intimae, quam quae cancellarium cum duce coniungebant.

Praeter supranominatos duos proceres, qui in scribendo ad ducem inter primos merito reputantur, sunt alii permulti, saeculares et spirituales, sicut primas Regni Ioannes Łaski, episcopi Drzewicki et Kryzicki, archidiaconus Ioannes Chojeński et alii, qui nonnisi postea primas in Republica partes agere debent. Ex saecularibus iam nunc videmus Lucam et Andream a Górką, usque ad mortem cum duce arctis vinculis iunctos (quorum primus postea episcopus Vladislaviensis factus est), Andream Tęczyński, Albertum Gasztold, palatinum Vilnensem, Nicolaum Wolski, curiae reginalis magistrum, et multos alios. Scribunt etiam ultimi duces Masoviae, Janusius et Anna.

Singularem inter eos, qui ad ducem scribunt, locum obtinet Hieronymus Łaski, qui varias et mutabiles partes in Hungaria agit. Separatim hic nominandus est quoque Ioannes Zambocki, « secretarius regius », qui de facto munere factoris vel « agentis » ducis Alberti fungitur; is iuventutem suam in captivitate Turcica transegit, ex ea deinde aufugit et per Bosniam in Poloniam rediit. Nostra itaque sententia tam ipse, quam et Stanislaus Bojanowski (postea simili officio functurus), etiam secretarius regius simul et ducis factor, ad seriem B 2 sensu stricto non pertinent, non possunt enim considerari « proceres » Regni Poloniae, sed potius « officiales » regii, et prout tales, ad seriem B 4 ascendi essent. Quae series (« Königliche Beamte ») continet quoque epistolae primi ex factoribus ducis, etiam secretarii regii, Nicolai Nibschitz. Sed cum circa a. 1900 epistolae Ioannis Zambocki, Stanislai Bojanowski et aliorum eiusmodi in hanc seriem inclusae sint, nos quoque eas hic publicamus.

Quod ad regulas attinet, quibus in edendis fontibus utimur, eas et nunc secuti sumus, quas hactenus in publicationibus nostris observavimus. Partes epistolarum, quae mere formales sunt, ut salutationes in exordio et gratulationes ac commendationes in fine, brevitatis causa omissae sunt. Abbreviationes in epistolis latinis omnes solutae, in germanice ac polonice scriptis — ut in originali relictæ.

« Manu propria » tum solummodo notamus, cum nomen auctoris litterarum alia manu scriptum appareat quam litterae ipsae. Si scriptura aliunde nobis nota est, notamus « autogr. » (autographum), casibus vero dubiis, cum et subscriptio et textus eadem manu exarata sunt, nullam adnotationem facimus.

Nomina personarum, quae in textu nominativi non occurunt, sed nonnisi secundum functiones et dignitates indicantur, pro viribus nostris adducimus. Nomina vero oratorum vel legatorum stabilire saepe negleximus, etiam si non raro legati eo vel alio anno missi noti sint, eam ob causam, quod saepe uno eodemque anno plures legationes mittebantur.

Nil aliud iam superest, quam ut et hic maximas agamus gratias Doctori Ioanni Koeppen, Archivi Regiomontani Directori, et Doctori Bernardo Jähnig, eiusdem Archivi Assessori, tam pro singulari eorum hospitalitate, quam ad omne auxilium ferendum incessante promptitudine. Doctori Jähnig praeterea pro correctione et cum originalibus collatione textuum germanice scriptorum, ac Dominae Edith Pásztor, Universitatis Studiorum Romanae Professori, et Rev. Ludovico Tautu pro opera nobis humaniter praestita in nominibus locorum et personarum Hungaricarum, Valachicarum, Moldavicarum etc. vel recte legendis vel emendandis, non vulgares habeantur gratiae.

In « Bibliographia selecta », quam infra porrigimus, non repetimus publicationes, quas iam in praeviis voluminibus enumeravimus. Praeterea adducimus solummodo aliqua opera, quae vel ad relationes Polono-Pruthenias vel ad personas ad ducem scribentes referuntur. Omisimus immensam fere bibliographiam, quae de eventibus in aliis regionibus tractat, de quibus in documentis hic editis sermo occurrit.

C.L.

BIBLIOGRAPHIA SELECTA

(*In hoc elenco bibliographico omittimus opera, quae iam in voluminibus El. XXX et XXXI attulimus*).

F o n t e s :

- ACTA TOMICIANA, VII-XII, Posnaniae 1860-1906, (*abbr. A.T.*).
- BIELSKI M., KRONIKA (*Zbiór dziejopisów polskich w 4 tomach zawartych, I, Warszawa 1764*).
- GÓRNICKI Ł., Dzieje w Koronie Polskiej. Ed. H. Barycz, Wrocław 1950.
- GÓRSKI S., Vita Petri Kmithae (ed. cum Annalibus Orichovii, Dantisci 1643).
- GUAGNINI A., Sarmatiae Europeae descriptio (ed. princ. Cracoviae 1578).
- HERBERSTEIN S., Rerum moscovitarum commentarii, Francofordiae 1600.
- [HERBERSTEIN S.], Briefwechsel mit dem Herzog Albrecht von Preussen, ed. J. Voigt (*Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen*, 17, 1857).
- HERBERSTEIN S., Selbstbiographie, ed. Th.G. v. Karajan, (*Fontes rerum Austriacarum I*, 1855).
- HOSIUS S., Vita Petri Tomicii (*Acta Hist. res gestas Poloniae illustrantia IV, Card. Hosii Epistolae I*, Cracoviae 1879).
- LUBIEŃSKI S., Opera postuma. Series, vitae, res gestae episcoporum Plocensis, Antverpiae 1643.
- MORAWSKI K., Andreeae Cricii carmina (*Corpus antiquissimorum poetarum Poloniae latinorum*, vol. 3), Cracoviae 1888.
- ORZECHOWSKI S., Żywot i śmierć Jana Tarnowskiego, ed. K.J. Turowski, Sanok 1855.
- PIASECKI P., Chronica gestorum in Europa singularium, Cracoviae 1645.
- RELATIONES STATUS DIOECESIUM IN MAGNO DUCATU LITHUANIAE (*Fontes Historiae Lithuaniae*, vol. I, 1. Dioeceses Vilnensis et Samogit.). Redegit P. Rabikauskas S.J., Sectio Historica Acad. Lithuan. Cathol. Scient., Romae 1971.
- STAROWOLSKI S., Vitae antistitum Cracoviensium, Cracoviae 1655.
- STAROWOLSKI S., Monumenta Sarmatarum, Cracoviae 1665.
- STRYJKOWSKI M., Kronika (*Zbiór dziejopisów polskich II*, Warszawa 1766).

VAPOVIUS B., De bello a Sigismundo I rege contra Moscos (*Scriptores rerum Polonicarum*, XV). Cfr.: **BIEŃKOWSKA B.**, Nad kroniką Bernarda Wąpowskiego. Opis lat 1516-28 i jego źródło: kronika Emeryka Węgra (*Studia źródłoznawcze XI*, 1966).

Studia

- BAHR E.**, Die Verwaltungsgebiete Königlich-Preussens 1454-1772 (*Zeitschrift des Westpreussischen Geschichtsvereins*, H. 74, 1938).
- BAŁKOWSKI L.**, Stanowisko ks. Albrechta wobec wcielenia Mazowsza do Korony (*Przegląd Hist.*, XXII, 1919).
- BARDACH J.**, Studia z ustroju i prawa W.K. Litewskiego XV-XVII w., Białystok 1970.
- BARKOWSKI O.**, Die Besiedlung des Hauptamtes Insterburg unter Herzog Albrecht und Markgraf Georg Friedrich von Ansbach 1525-1603 (I Teil, *Prussia. Zeitschr. f. Heimatkunde*, 1928).
- BARTEL O.**, Jan Łaski, Warszawa 1955.
- BARUCH M.**, Stosunki Fuggerów z Polską (*Sprawozdania Tow. Nauk. Warsz.*, Rok IX, 1916).
- BARYCZ H.**, Historia Uniwersytetu Jagiellońskiego w epoce humanizmu, Kraków 1935.
- BARYCZ H.**, Polacy na studiach w Rzymie, Kraków 1938.
- BONIECKI A.**, Poczet rodów w W.Ks. Litewskiem w XV i XVI w., Warszawa 1887.
- BOSTEL F.**, Ostatnia księżna mazowiecka (*Kwart. Histor.* VI., 1892).
- BRÜCKNER A.**, Z polsko-litewskich dziejów wyznaniowych (*Reformacja w Polsce II*, 1922).
- BRZEZIŃSKI S.**, Biskup podkanclerzy Piotr Tomicki na tle swej epoki (*Przegl. Powsz.*, 202, 1934).
- BRZEZIŃSKI S.**, Współcześni i potomni o Piotrze Tomickim (*Przegl. Powsz.*, 1935).
- CHOJNACKA K.**, Walka o wolny handel na Warcie i Odrze w pierwszej połowie XVI w. (*Przegl. Zachodni*, 1952).
- CZAPLEWSKI P. ks.**, Senatorowie Prus Królewskich (Senatorowie świeccy, podskarbiowie i starostowie Prus Królewskich 1454-1772), Toruń 1921 (*Roczniki Tow. Nauk. w Toruniu*, 26/28).
- CZAPLIŃSKI W.**, Problem Gdańska w czasach Rzeczypospolitej szlacheckiej (*Przegl. Hist.* XLIII, 1952).
- DANYSZ A.**, O wychowaniu Zygmunta Augusta (*Rozprawy PAU, Wydz. Hist. Filozof.* 57, 1915).
- DEGGELLER G.**, Karl V und Polen-Litauen, Würzburg 1939.
- DEMBIŃSKI B.**, Ostatni wielki mistrz Zakonu niemieckiego i pierwszy książę pruski. PAU. Kraków, 1925.

- DOLEZEL S., Herzog Albrecht und die polnische Königswahl (*Zeitschr. f. Ostforschung XIII*, 1964).
- DOPKEWITSCH H., Die Hochmeisterfrage und das Livlandproblem nach der Umwandlung des Ordenslandes Preussen in ein weltliches Herzogtum durch den Krakauer Vertrag v. April 1525 (*Zeitschr. f. Ostforschung, XVI*, 1967).
- DWORZACZEK W., Genealogia, Warszawa 1959.
- DWORZACZEK W., Górką Andrzej (PSB *).
- DWORZACZEK W., Górką Łukasz (PSB).
- DWORZACZEK W., Łaski Jan, prymas (PSB).
- DWORZACZKOWA J., O genezie i skutkach rewolty gdańskiej 1525-6 roku (*Roczniki Histor.*, XXVIII, 1962).
- FINKEL L., Habsburgowie i Jagiellonowie po klęsce mohackiej (*Kwart. Histor.* VII, 1893).
- FINKEL L., Polityka polska w sprawie węgierskiej w r. 1528 (*Kwart. Histor.* XIII, 1898).
- FINKEL L., W sprawie udziału lenników w elekcjach jagiellońskich (*Kwart. Histor.* XXVII, 1913).
- FLANSS R., Die von Zehmen (Czema) in Westpreussen (*Zeitschr. des Historischen Vereins Marienwerder*, X).
- GĄSIOROWSKI A., Itineraria dwu ostatnich Jagiellonów (*Studia Histor.*, 1973).
- HALECKI O., Die Beziehungen der Habsburger zum litauischen Hochadel (*Mitt. des Instituts f. oesterreichische Geschichtsforschung*, XXXVI, 1916).
- HARTLEB K., Jan Zambocki, Warszawa 1937.
- HERRMANN A., Der Deutsche Orden unter Walter von Cronberg 1525-1543 (*Quellen und Studien zur Geschichte des Deutschen Ordens*, 35, 1973).
- HIRSCHBERG A., Hieronim Łaski, Lwów 1888.
- HUBATSCH W., Zur altpreussischen Chronistik des 16.Jhts. (*Archivalische Zeitschr.* B. 50-51, 1955).
- KAMIENIECKI W., Pobyt króla Jana Zapolyi w Polsce w 1528 r., (*Przegl. Hist.* V, 1907).
- KIESZKOWSKI J., Kanclerz Szydłowiecki, Poznań 1912.
- KŁODZIŃSKI A., Tęczyńscy: Genealogia rodu oraz pogląd na jego rozwój, zamożność i znaczenie (*Sprawozd. Kom. Hist. Sztuki*, IX, Kraków 1914).
- KOLANKOWSKI L., Z archiwum królewieckiego. Polscy korespondenci ks. Albrechta 1525-1568 (*Archeion*, 6/7, 1930).
- KOLANKOWSKI L., Polityka ostatnich Jagiellonów (*Kwart. Histor.*, XXV, 1911).
- KOLANKOWSKI L., Polska Jagiellonów, Lwów 1936.

*) PSB abbreviatio pro: *Polski Słownik Biograficzny*.

- KORYTKOWSKI J., Arcybiskupi gnieźnieńscy, prymasowie i metropolici polscy od r. 1000 aż do r. 1821... Poznań 1888.
- KOSMAN M., Reformacja i kontrreformacja w Prusach Królewskich w świetle dotychczasowych badań (*Roczniki Histor.*, XXXIX, 1973).
- KOT S., Z dziejów propagandy polskiej w w. XVI. Dyplomaci polscy w Neapolu, Kraków, 1928.
- KOWALSKA H., Łaski Jan, reformator (PSB).
- KUCNER A., Ekspansja Brandenburgii nad Bałtykiem XV-XVIII w., Poznań 1947.
- LEWICKI L., Księążęta Ostrogscy w służbie Rzeczypospolitej (*Rocznik Wołyński VII*, 1938)..
- ŁEMPICKI S., Biskupi polskiego Renesansu jako opiekunowie kultury (*Przegl. Powsz.* 200, 1933).
- ŁĘTOWSKI L., Katalog biskupów, prałatów i kanoników krakowskich, Kraków 1852.
- MIASKOWSKI K., Z dziejów rodziny Łaskich (*Roczniki Historyczne V*, 1929, IX, 1933).
- MORAWSKI K., Czasy Zygmuntowskie na tle prądów Odrodzenia, Warszawa 1922. Przedruk 1965.
- NEUSTADT L., Markgraf Georg v. Brandenburg als Erzieher am ungarischen Hofe. Breslau 1883.
- NIESIECKI K., Herbarz Polski, ed. J.N. Bobrowicz, Lipsiae 1839.
- NOWOWIEJSKI A.J., Płock. Monografia historyczna. Płock 1931.
- PAŃKOW S., Kuczer Karol (PSB).
- POCIECHA W., Boner Seweryn (PSB).
- POCIECHA W., Chojeński Jan (PSB).
- POCIECHA W., Czasy Zygmunta Starego (*Roczniki Histor. XVI*, 1947).
- POCIECHA W., Gasztold Olbracht (PSB).
- POCIECHA W., Walka sejmowa o przywileje Kościoła w Polsce w latach 1520-37 (*Reformacja w Polsce II*, 1922).
- PTAŚNIK J., Bonerowie (*Rocznik Krak.*, VII, 1905).
- QUEDNAU H., Livland im politischen Wollen Herzog Albrechts von Preussen (1525-40). (*Deutschland und der Osten XII*, 1939).
- RUSSOCKI S., Nieznany mandat ks. Janusza mazowieckiego w sprawie powstania chłopskiego w Prusach Księżeckich (*Przegl. Histor. XLVI*, 1955).
- SILNICKI T., Zjazd w Poznaniu w r. 1530. (*Prace Komisji Hist. Tow. Przyj. Nauk*) Poznań 1933.
- SOBIESKI W., Walka o Pomorze, Warszawa 1928.
- SOBOL B., Ostatnie statuty mazowieckie z lat 1525 i 1526 (*Przegl. Hist.*, XLIX, 1958).

- SOBOL B., O zaginionym druku mazowieckiego dekretu przeciwko lutera-nom (*Przegl. Hist. L*, 1959).
- SPULER B., Die europäische Diplomatie in Konstantinopel bis zum Frieden von Belgrad (*Jahrbuch f. Kultur und Geschichte der Slaven, NF. II.* 1935 et *Jahrbuch f. Geschichte Osteuropas I*, 1936).
- SUCHENI-GRABOWSKA A., Odbudowa domeny królewskiej w Polsce 1504-48, Wrocław - Warszawa - Kraków 1967.
- SZOSTKIEWICZ Z., Katalog biskupów obrządku łacińskiego przedrozbiorowej Polski (*Sacrum Poloniae Millennium I, Romae 1954*).
- TAZBIR J., Echa walk klasowych XVI w. w polskiej opinii szlacheckiej (*Przegl. Hist. XLIII*, 1952).
- TAZBIR J., Reformacja a sprawa chłopska w Polsce w XVI w., Wrocław 1953.
- UEBERSBERGER H., Oesterreich und Russland seit dem Ende des 15. Jahr-hunderts I, Wien und Leipzig 1906.
- URBAN W., Łaski Hieronim (Jarosław) (PSB).
- WEINTRAUB W., Udział Prus Książęcych w Reformacji Polskiej (*Reformacja w Polsce VI*, 1934).
- WOTSCHKE T., Geschichte der Reformation in Polen, Leipzig 1911, New York, London, 1971.
- WOTSCHKE T., Herzog Albrecht und Graf Andreas Górká (*Deutsche Wissen-schaftliche Zeitschrift für Polen*, 1924).
- WYCZAŃSKI A., Francja wobec państw jagiellońskich w latach 1515-29, Wrocław 1954.
- WYCZAŃSKI A., Polska Rzeczpospolita Szlachecka, Warszawa 1965.
- WYCZAŃSKI A., Rozdawnictwo dóbr królewskich za Zygmunta I (*Przegl. Hist. IV*, 1953).
- ZABŁOCKI S., Krzycki Andrzej (PSB).
- ŻELEWSKI R., Ilowski Aleksander (PSB).
- ZIELIŃSKI R., Chronologia senatorów płockich (*Notatki Płockie*, 1958, 1960).
- ZINS H., Powstanie chłopskie w Prusach Książęcych w 1525 r., Warszawa 1953.
- ZYCH W., W sprawie udziału lenników w elekcjach jagiellońskich (*Kwart. Hist. XXV*, 1911).
- ZYCHLIŃSKI T., Złota Księga szlachty polskiej, Poznań 1879 sq.

T E X T U S

1525

N. 1.

Cracoviae, 12.V.1525.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus et capitaneus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
litterae credentiales pro Ioanne Wietwiński (in ms. Vythyvenski), ca-
stellano Plocensi et capitaneo in Bratian.*

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

N. 2.

Cracoviae, 4.VI.1525.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,
litterae salvi conductus pro duce Erico Brunsvicensi et Luneburgensi in
Germaniam projecturo.*

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

N. 3.

Kroże, 18.VI.1525.

*Stanislaus Janowicz, capitaneus Samogitiae,
Alberto in Prussia duci
de evectione in ducem in Prussia gratulatur.*

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

Unsern grus etc.
Irlauchter hochgeborner furst, Ewer Herlichkeit sendebrieff, dorin
koniglicher majestadt, unsers allergnedigsten hern, verschlossen, han
wir onlang erhalten, dorin zowol ein angeneme zache nicht weninger
und uns frolich lessend ernommen haben, das konigliche majestadt aus
angeborner milder gutickeit alle vorgescheene ding nochgestelt Ewer
Herlichkeit undir die fluchten koniglicher beschirmung aufgnomen und
zum herzogen in Preussen auferhaben hot — dem hochsten Gote sey ere

und gloria — ongezweifeld Ewer Herlickeit undertanigen nicht weningen fromen hieraus fülen werden, angezehen sie mit andirn koniglicher majestadt undertanen in gleicher nochbarschaft frudlich und erheblich begriffen, fridsamer guter ruhe sich zicherlicher werden zu frewen haben; wodurch und geburlich darkomth das wir noch koniglicher majestadt, unsers allergnedigsten hern, iczt durch Ewer Herlickeit uns zugeschickten willen und gnediges begeren verursacht (wiewol auch dermaes vorhin aus eigner bewegung gevissen) uns Ewer Herlickeit, zo wir uffs best mogem, sich in beheglichkeit zu erzeigen, Ewer Herlickeit undirtanen und kouffleuten, welichen und wie in nothaftig-durch koniglicher majestadt land zu Samaithen gutlichen ongewiderten weg zu reysen und wandirn vergonnen und koniglicher majestadt undertanigen, wes zu vorfang alten guten grenzen beyder lande Samaithen und Preussen furzunhemen nicht gestaten wellen, wiewol faste glouben, von uns andirs gescheen bisher nicht ist erfahren, yedoch meher und ye mer meher dem also nochzukomen, wellen sein gevissen gen Ewer Irlaucht,^{a)} die Got zelicklich zu enthalten gedulde. Geben zu Croschen am Suntag in der octava des Heiligen Leichnams im 1525.

Stanislaus Janowicz, herr zuur Willa und obirster
houptman in Samaithen.

a) t supra lineam scriptum, forsitan Irlaucht-
tigkeit legendum est?

N. 4.

Przedbórz, 25.VI.1525.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
de principatu feliciter obtento gratulatur; de tumultibus in Hungaria
excitatis nuntiat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Cum irem ad sinodus provincialem, reddite sunt hic michi litterae Vestre Illustrissime Dominationis, singularis illius erga me benevolentiae testes, quas gratissimo animo accepi et perlegi, habeoque et ago magnas gratias Vestre Illustrissime Dominationi, quod me de successu suo et rebus novis, que illi ex Germania perscripte sunt, facere voluerit certiorum. Quod officium volo illi omni studio et facultate mea semper demereri optoque et Dominum Deum oro, ut Vestra Illustrissima Dominatio in hoc suo novo Principatu diu presit felix ac incolumis, in gratia Dei Serenissimique Regis nostri ac omnium hominum.

In Hungaria magni sunt motus et tumultus, de quibus non dubito germanum Vestre Illustrissime Dominationis, Illustrissimum Dominum Georgium Marchionem ad eam laciis perscripsisse aut brevi perscriptum esse... Datum in Przedbórz, die dominico proximo post festum Sancti Ioannis Baptista, anno Ihesu Christi MDXXV.¹⁰

^{a)} Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis servitor
Petrus Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscriptis b)

a-b) *manu propria.*

Niepołomice, 30.VI.1525.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro litteris gratias agit; de Dieta Ducatus Prussiae coram missis regis [Sigismundi I] terminata; Achatium Czema laudat; ducem apud regem et reginam commendatissimum esse nuntiat.
(Autographum)

Vest. Sigilli.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Accepi binas litteras Illustrissime Dominacionis Vestre, unas manu Illustrissime Dominacionis Vestre, alteras per Notarium scriptas, omni gracia et favore plenas. In his autem, quas Vestra Illustrissima Dominacio manu sua scripsit, declarare dignetur,^{z)} quod Dieta in Monte Regio habita in presencia Magnificorum Dominorum Oratorum Sacre Regie Maiestatis, Deo iuvante, bene ac prospere terminata est, et ob id Illustrissima Dominacio Vestra Domino Deo gracias agit.

Illustrissime mi Domine Princeps, sit laus Domino Deo, quod eius benignitate he res, que ad pacem sunt, bene ac feliciter succedunt. Scribit iterum Illustrissima Dominacio Vestra, quod Dominus Czema ea omnia, que a me sibi commissa fuerunt, sinceriter pertulit, et proinde agit mihi gracias non vulgares Illustrissima Dominacio Vestra de amicabili obsequio, de premonicione, de consilio et aliis officiis. Ego, Illustrissime Princeps, ab eo tempore, quo in has partes Illustrissima Dominacio Vestra advenire dignata est, libentissime certe eidem obsequiis meis placere, studui, et nedum tempore pacis, sed eciam belli occasiones quesivi, quibus Illustrissime Dominacioni Vestre morem gerere liceret, quod partim ipsimet Illustrissime Dominacioni Vestre, partim eciam Illustrissimo Domino Duci Legnicensi¹⁾ et Illustrissimo Domino meo, Domino Georgio Marchioni, Dominis meis favorabiliter graciosis, satis constat.

Cum autem Dei auspicio pax facta est inter Maiestatem Regiam et Illustrissimam Dominacionem Vestram, sum totus Illustrissime Dominacionis Vestre et vehementer eidem cupio modis omnibus gratificari. Et quod significavi, ne cui libet fideret ac ne omni spiritui crederet, non absque causa id feceram. De quo mallem cum Illustrissima Dominacione Vestra coram loqui quam per litteras, et ago gracias eidem non vulgares, quod a talibus cavere promittit. Sunt enim nonnulli, qui quibuscumque modis possunt, se in graciam Principum ingerunt.

Dominum Achacium Czema, mihi satis ob viri dexteritatem et virtutes optimas commendatum, fecit mihi Illustrissima Dominacio Vestra commendatissimum, et quidquid in rem suam meis officiis licite prestare potero, faciam libentissime. Postremo rogat me Illustrissima Dominacio Vestra, commendarem obsequia eius Regie et Reginali Maiestatibus, simulac et liberis regiis. Est profecto Illustrissima Dominacio Vestra commendatissima, immo carissima Suis Maiestatibus. Tamen ego, pro meo oficio, gratissimam et honorificentissimam mencionem de Illustrissima Dominacione Vestra coram Suis Maiestatibus feci ac litteras

legi. Vix dici potest, quam gratissime Maiestates Sue officia hec ab Illustrissima Dominacione Vestra suscepint, habetque Illustrissima Dominacio Vestra propter suam hanc genuginam^{z)} humanitatem ex Principe meo Regem et avunculum graciosissimum, quod Dominus Deus et augeat et servet perpetuo.

De aliis rebus ex litteris, manu scribe mei datis, accipere dignabitur.
... Datum in Nyepolomycze ex venacione, in crastino Sancti Petri et Pauli, anno 1525.

Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
totus quidquid est
servitor

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.

z) sic in ms.

1) Fridericus

N. 6.

Niepołomice, 30.VI.1525.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro litteris ducis manu scriptis gratias agit; obitum filioli nuntiat; de opera ducis in pace inter Ioachimum marchionem Brandenburgensem et duces Pomeraniae.

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Ad eas litteras, quas Illustrissima Dominacio Vestra michi manu sua scribere dignata est, etiam manu mea breviter rescripsi. Iterumque atque iterum maximas ago et habeo gratias Illustrissime Dominacioni Vestre, quod michi, bono servitoru suo et amico, tam gracie scribere dignetur. Tam certe sunt michi littore Illustrissime Dominacionis Vestre gratissime, et presertim manu Illustrissime Dominacionis Vestre scripte, quod etiam illas vice alicuius monumenti inter reculas meas asservabo ac posteris meis relinquam. In hiis autem litteris manu Notarii scriptis dignetur Illustrissima Dominacio Vestra michi gracias agere de visitacione et salutacione per Dominum Palatinum Marienburgensem¹⁾ et per Dominum Czema.²⁾ Profecto nollem ullam pretermittere occasionem, quo non charior vellem reddi Illustrissime Dominacioni Vestre. Atque ideo nedum per hosce duos Dominos, sed etiam per Magnificum Dominum Ioannem Wyethwyensky, Castellanium Plocensem, alumnū meū, eam feci significacionem scilicet, serviciorum commendacionem, salutis et incolumitatis Dominacionis Vestre Illustrissime visitacionem et de felicibus quibusque eventibus gratulacionem. Qui quidem Dominus Plocensis abunde satis michi perscrispit de gracia et humanitate Illustrissime Dominacionis Vestre, qua me prosequi dignetur, deque his rebus, que in Dieta Montis Regii acta^{z)} sunt, Dominus etiam Palatinus Marienburgensis in eundem sensum multa michi ante paucos dies scripsit.

Postremo Dominus Czema fusissime et de actis Conventus Montis Regii et de hiis, que meo nomine cum Illustrissima Dominacione Vestra egit, et que vicissim Illustrissima Dominacio Vestra, pro sua incomparabili virtute et humanitate, per eundem michi significare dignata est.

Sed redibo ad litteras Illustrissime Dominacionis Vestre. Dignetur michi scribere Illustrissima Dominacio Vestra de componenda primum pace inter Illustrissimum Dominum, Dominum Ioachimum Marchionem Brandenburgensem, Sacri Romani Imperii Electorem, patrum suum, et offert ad hoc operam suam non vulgarem. Mi Illustrissime Domine Princeps, si Sacra Maiestas Regia cum scismaticis et barbaris Principibus, pro sua summa bonitate, pacem libenter amplectitur, quam et firmiter semper tenere servareque solet, et rediit nunc cum non paucis in graciam, sperarem, quod et cum Illustrissimo Domino Marchione Ioachimo, uti affine et vicino, concordiam honestam (licet ex finibus illis Maiestas Regia et subditi sui non mediocribus iniuriis et dampnis, nulla prius data occasione, affecta est, licetque extant et pre manibus sunt concordiarum huiusmodi confederacionum multe littere et inscripciones) non detractaret, presertim medio Illustrissime Dominacionis Vestre, que, ut ex litteris Domini Czeme clarius intellexi, suo ipsius nomine in hac re curam impendere vellet, ut videlicet ipse Dominus Marchio suapte sponte et deliberacione propria apud Maiestatem Regiam litteris id sollicitet.

Gratissima est hec sedulitas Illustrissime Dominacionis Vestre et diligencia Maiestati Regie, et agit illi non vulgares gracias. Verum ego timeo, quod Dominus Czema non bene expressit voluntatem et intencionem Illustrissime Dominacionis Vestre, istis verbis ad me scribens: Decrevit dictus Illustrissimus Dominus Dux in Prussia, ubi id fieri Maiestati Regie visum fuerit et ab eadem Maiestate Sua Illustritati Sue munus iniunctum, Illustritas Sua, suo ipsius nomine, apud dictum Dominum Marchionem operam suam accomodate et curam impendere vellet, quo Illustrissimus Dominus Marchio ex proprio arbitrio et deliberacione apud Regiam Maiestatem litteris suis sollicitet contractum et confederationem amicabilem cum Sacra Maiestate Regia ineundam. Hiis verbis Dominus Czema declaravit summam propensionem animi Illustrissime Dominacionis Vestre de componenda pace. Verum satisficeret, si Illustrissima Dominacio Vestra ex se ipsa intelligeret mentem Illustrissimi Domini Marchionis Brandenburgensis de componenda pace ipsa, ac demum eam Maiestati Regie ante proximum Conventum Regni, qui ante festum Sancti Andree agetur, litteris declararet, ut Maiestas Regia, habitis litteris Illustrissime Dominacionis Vestre, proponeret id in medio Senatus sui et demum ad hoc operam Illustrissime Dominacionis Vestre, ut nepotis et Principis sui, invocaret. Exinde demum alia concordia inter ipsum Illustrissimum Dominum Marchionem et Illustrissimos Dominos Duces Pomeraniae³⁾ haud gravatim succederet.

Quapropter rogo Illustrissimam Dominacionem Vestram, dignetur dare operam, ut hec, que ad pacem sunt, suum sequerentur effectum. Habebit Illustrissima Dominacio Vestra inde apud homines gloriam non vulgarem, quippe non mediocriter hoc pacto de Re Christiana merebitur, et apud Dominum Deum premium sempiternum.

Preterea habui unicum filiolum, natum annum et dimidium. Is nuper michi e vivis excessit, et ut letatus eram de nativitate eius, utpote quod in domo mea Schidlovicia a quadraginta annis nullus masculus natus fuit, ita de morte ingenti certe dolore afficio. Non tamen adeo dolore

aut merore obruor, ut videar ammisisse filium, nam adeo fortiter fero eventum hunc, ut nec lachrima visa est²⁾ etiam ab intimis cubiculariis meis oculos meos inundare. Premo dolorem intra me fortissime. Uxori demandavi, ne lugeat ac vestem mutet, ac neque corpus pueri ad sepulcrum sequatur. Ipse etiam eodem habitu utor, quo ferme usus sum in nativitate filii, potestati divine id omne (quod actidit) concedens, memor illius simboli Divi Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit. Hec volui Illustrissime Dominacioni Vestre paucis adscribere. De aliis novis, que etiam apud nos sunt, ex aliis litteris Illustrissima Dominacio Vestra intelligere dignabitur.

Oblitus eram Illustrissime Dominacioni Vestre scribere. Rogo Illustrissimam Dominacionem Vestram, dignetur efficere, ut littere reversales necessarie Maiestati Regie et Corone dentur, quia significaverunt Commissarii regii, quod nondum sunt date. Item etiam restituantur littere Ordinis Theuthonici, quas Illustrissima Dominacio Vestra dicebat esse in domo Anschpach, idque propterea facere dignetur, ne supersit deinceps ullus scrupulus et res nulla in re remoretur et futuras difficultates pariat... Datum in Nyepolomycze, die ultima Iunii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
Christophorus de Schydlowycz, Palatinus et Capitanus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius etc.

Post scriptas istas litteras, venerunt ex Hungaria littere, quas originaliter Illustrissime Dominacioni Vestre mitto.⁴⁾

2) sic in ms.

3) Georgius I et Barnim IX.

1) Georgius Bażeniski.

4) annexum deest.

2) Achatius.

N. 7.

Cracoviae, 23.VII.1525.

Hieronymus Łaski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
de duello suo cum Andrea de Górką, palatinide Posnaniensi, parando,
qua in re consilium et auxilium ducis exposcit.
(Adest schedula)

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Consuevi ego singula in rem meam opportuna deferre amicis eorumque consilio, et illis precipue, quos ingenio, auctoritate ac rerum experientia prestare non ignorem. Sciensque ipse Illustrissimam Dominacionem Vestram et auctoratam et rerum omnium peritissimam nunquam non mediocriter, quin immo sinceriter affectam esse, opere precium duxi innotescere illi, quod mihi, ad presens homini alioquin pacifico omnibusque de se merentibus bene volenti, preter meam et omnium aliorum opinionem, actiderit, ut exinde Illustrissima Dominacio Vestra, tanquam Dominus et Patronus meus colendissimus, consilio et assistencia suis ducalibus pro eo amore, quo me ab inicio ex mera

humanitate sua pene divinitus infusa prosequi non deditur, rebus et optatis meis non deesset sciens me quoque suum esse in loco meo senatorio et extra illum fautorem. Et ut verum fatear, perpetuum servitorem, nunquam certe illi cum optima familia mea, in hoc Regno Polonie, si iactari licet, auctoratissima, defuturum, quociens istud ducalis necessitas vestra aliqua ex parte sui exposcere videatur.

Siquidem, Illustrissime Princeps, existente tota ista septimana proxima preterita Sacratissima Regia Maiestate, Domino meo clementissimo, unacum Serenissima sua coniuge ac Illustrissimis liberis suis universis, circa castrum suum Niepolomycze et alibi circumcirca in venacione, me quoque cum eius Regia Maiestate per certam occasionem ibidem presente, vocatus fui unacum aliis multis probis viris ac feminis Reginalisque Maiestatis ancillis et pedissequis hac feria sexta pro serotina collacione fraterne obeunda per Generosum Dominum Severinum Bonar, Capitaneum Biecensem, Burgrabium et Zupparium Procuratoremque Cracoviensem Generalem, dignissimum servitorem et officialem Serenissimi Domini nostri; in eodem castro Nyepolomycze unacum aliis multis me quoque tunc temporis hospitatum, invasit me ibidem securum et inermem, cum venia quidem scribendo, post balneum cum Regia ipsa Maiestate per me tum degustatum, penitus seminudum, unico tantum servitore meo comitatum, Generosus Andreas, Domini Luce Castellani Poznaniensis unicus filius, in curia ista regia militans, volens mihi cum certa caterva sua armis instructa inferre vim ibidem cum necis machinacione, preter omnem occasionem, non habendo loci et temporis personeque mee senatorie, quin pocius regie ibidem tum cum tota familia sua Serenissima existentis, debitam rationem.

Cuius vim adeo instructam quia tunc vi propellere non fuerat possibile, provocavi eum verbis legalibus ad duellarem concertacionem, ut sic cedis cupidus vel me vinceret, vel a me victus cessaret demum ab hac mei impeticione, prout et cessaverat, suscepta a me duellari provocacione per manus sue stipulacionem. Et exinde ille invasor de cubili Domini Bonari abiierat, communicatoque mox cum suis sequacibus adinvicem consilio, et oblitus promissi sui militaris, rediit rursus armis exeritis et actessit hostium cubiculi Domini Bonari, unde primo exierat. Quod dum ictibus impetendo rupturus fuisset, hospes cubiculi prudentibus sermonibus suis illum allocutus, deduxit utcunque potuit rem ad miciorem collocucionem, et sedatis sic invasorum animis, Luce filium sub eius fide ad cubiculum suum rursus intromisit, non aliud certe nisi novam iterum litem mecum, preter omnem culpam meam, elaborantem. Ego, a proposito meo duellari non recedendo, deduxi eum iterum ad eius prosecucionem verbo et manus dacione secundario facta, ut et antea amplectendam, ita quod vel ille me, vel ego illum in aurora fueram ad hunc effectum a sompno suscitaturus.

Preveni ego illum, in lecto eius sompno et serotina leticia gravatum, mittendo ad eum duos bonos viros notabiles cum cedula intercisa, cum clausulis ad eam rem opportunis, de amicorum meorum consilio fabricata, describendo illi modum, ut provocator duelli future nostre concertacionis, et assignando illi tempus et locum extra curiam regiam supra unum miliare distantem, quandoquidem duellum hoc non ex iuridico regio decreto, sed ex violenta mei invasione in vim evadende cedis illius castrensis ortum suum habuerat, quandoquidem ille invasor a proposito suo maligno hostiliter instructo secus domari revocarique nequiverat. Quo facto filius Luce a sompno sic expergescens existens, a meis amicis

ad se missis, non immemor promissi sui in rem duellarem facti, recepit cedulam hanc intercisam ab eisdem et obtulit se facturum satis promissis suis militaribus meque mox secuturum ad locum, sibi verbo designatum. Dumque iam ipse ascenderem equum meum ad locum duelli processurus, occurrit mihi Dominus Palatinus Cracoviensis,¹⁾ ut est homo amoris nostri mutui percupidus, revocabat me persuasorie a propositi mei duellaris prosecucione, sed tamen non profecit, quia mihi secus fecisse non licuit. Et expectavi aliquot horas hostem meum in loco illi per me assignato, illo se in eodem assignato loco nullatenus statuente.

Interea vero temporis Sacra Maiestas Regia piie creditur in eius favorem mittere ad me in locum assignatum dignata est, hortando me per certum Secretarium suum, ut desisterem a cepto isto negocio, sed pocius omnem hanc differenciam Sacre Sue Maiestatis cognitioni subiicerem. Redii ego rursus de campo ad eius Regiam Maiestatem meque illi presentavi, excusando innocenciam meam adeo evidentem, offerensque me omnia ista per testes illos interessentes probaturum, et in defectu probacionis predicte testificatorie manu mea militari, iuxta meam huiusmodi provocacionem, omnia premissa verificaturum, ab eadem duellari actione ab hoste illo suscepta minime recedendo. Illo tamen hoste meam hanc excusacionem et petitionem inde secutam audire nolente, in eventum forsan evadende huiusmodi duellacionis contra suam honestatem, Sacra Sua Maiestas male contenta existens de hac nostra differencia, licet fuerit de innocencia mea per memoratos bonos viros plenissime informata, suscepit negocium hoc audiendum cognoscendum ad Cracoviam propter temporis brevitatem, quoniam fere in egressu regio de Nyepolomycze negocium hoc ita in eius noticiam fuerat deductum, prout superius est expressum, quemadmodum eciam ex hac cedula provocatoria presentibus inclusa plenius cognoscet Illustrissima Dominacio Vestra.

Credo igitur brevi habiturum me audienciam apud Suam Maiestatem. Nescio quid fortuna feret, sum tamen eius animi et spei, quod mea illa duellaris provocacio effectum suum sit sortitura, vigore consensus hostilis per solemnem promissionem et manus stipulacionem interciseque cedule suspicionem preallegatam, a qua mihi et illi honeste recedere non licet. Supplico igitur Illustrissimam Dominacionem Vestram, ut mihi consilio et auxilio esse dignetur, describendo mihi quam primum sentenciam suam rei mee opportunam, providereque mihi dignetur unum elegantem equum duellarem et mittere mihi eum per presencium exhibitem. Ego demum voluero eum et equis potissimis ac benemeritis meis refundere habundanter Illustrissime Dominationi Vestre... Datum Cracovie, die Dominico in crastino festi Sancte Marie Magdalene, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

a) Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestrae
perpetuus servitor
Ieronimus de Lasko et in Ritviani, Palatinus Siradiensis etc., manu propria subscriptus.^{b)}

a·b) *manu propria*.

1) *Christophorus Szydłowiecki*.

Adiuncta schedula eadem manu scripta:

Domine Andrea, Dominus Palatinus Siradiensis, affinis utriusque nostrum, prout obtulit tibi provocacionem propter tuam importunam in se invasionem, avisat te per nos, necessarios amicos suos, ut se

parares ad hoc certamen, quod sibi promisisti verbo tuo et manus stipulacione. Iam eciam Dominus Palatinus solus ad hoc paratus est, iuxta suam provocacionem, et vult tecum dimicare pro iusticia sua in persona sua propria in equo cum gladio trifulco et cultro, sine aliquibus aliis armis, nihil tibi supra se ipsum plus concedendo, habens fiduciam hanc de te, quod secum dimicabis iuxta tuam summissionem, si in quantum es verus filius Luce de Gorka, prout se pro tali geris, nobiliter ac legitime progenitus. Et in hoc se Dominus Palatinus Siradiensis vobis, bonis Dominis, qui hic adestis, evidenter protestatur, quod tecum pro isto tempore, presertim in hoc loco, non libenter ad hanc actionem devenit, observando in hoc graciam regiam, et iuxta palatinalem auctoritatem suam, nisi eum coactio et importuna invasio tua ad hoc prosequendum induxisset. Et nihilominus eam spem habet Dominus Palatinus Siradiensis, quod hac hodierna actione, ad quam eum temere induxisti et ad quam devenit non frivole, sed tantum tua elata superinductione, quod facile potes verificari, graciam regiam non irritabit, quandoquidem culpa sua nil agitur nisi tua.

N. 8.

Varsaviae. 25.VII.1525.

*Ianussius dux Masoviae
Alberto in Prussia duci
litterae fidei pro nuntio suo Ioanne Bieliński.
Vest. sigilli.*

(3 annexa: querelae et gravamina)
H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Commisimus huic Secretario nostro, Venerabili Ioanni Bielinsky de Czerino, Varschoviensi et Polthoviensi Canonico, primum invisere felicem sanitatem Illustrissime Dominationis Vestre et demum aliqua de mente nostra ac informacione eidem refferre. Affectamus itaque, prebeat sibi Illustrissima Dominatio Vestra audienciam benignam et his, que nomine nostro coram dicet refferretque,^{z)} plenam adhibeat fidem atque nobis dicentibus... Datum in civitate nostra Varschoviensi, die festo Sancti Iacobi Apostoli, anno MDXXV.^{to}

Ianussius, Dei gratia Dux Mazovie, Russie etc.

z) sic in ms.

Annexum I. Ioannes Bieliński Alberto in Prussia duci:

Petit itaque benignissimus Dominus meus, Dux Mazoviae, ut Illustrissimus Dominus Dux Prussiae committat aliquibus, qui predictas causas et iniurias discernerent et iudicarent, quemadmodum et Sua Benignitas fecerat ad petitionem Domini Theoderici, Oratoris Domini Principis Prussiae. Et non modo ista sunt, sed longe plura, que perscribere longum esse. Petit itaque Dominus Dux Mazoviae, ut pro aliquo die certo, quo placuerit Domino Principi Prussiae, mittat aliquos in Nydborg, qui ista recognoscerent iusticiamque subditis Domini Ducis Mazoviae administrarent, quoniam et ipse Dominus Dux Mazoviae non tantum

in his, que Dominus Theodericus proposuit comiter ut iusticia fiat, sed eciam quoties opus esset, ut iusticia ministraretur, mandavit.

Annexum II. Querimoniae subditorum ducis Masoviae:

Querimonie subditorum Illustrissimi Domini Ducis Mazoviae.

Primo Lorintz, civis Varschoviensis, conqueritur, quod res eius vanczosz, quas ante belli initium hic in Regio Monte depositus, post bellum sub treugis pacis eidem direpte sunt. Et cum saepius petisset sibi restitui, pro eoque Dominus Princeps Mazoviae saepe per litteras, per me vero, Oratorem suum, iam secundo, ut ipse res restituantur, egit agitque et rogat.

Item petit Dominus Dux Mazoviae, ut Nicolaus Crzyvonoski, qui nonnihil contumacie in Suam Illustritatem admisit, in Ducatu Prussiae non foveatur, fovetur autem in quodam pagu^{z)} pertinente ad arcem Scythno.

Contra Dominum Capitaneum Nytborgensem.

Martinum Sycloszyf mulctavit quatuor marcis, causans eum prohibita equitasse via.

Item Michaelem Czyborovycz et Michaelem Colodzyel, boves Gdnam agentes, quinque marcis privavit.

Item Andree Ceran cum eius sociis 5 marcas accepit, quod a via videbantur sibi aberasse.

Item ex eadem causa Stanislao Myley XIII marcas et pisces pro quinque marcis tempore Quadragesime accepit.

Iacoboque Yaswyecz XVI marcas, cum quadragesimali tempore nullum potuerat facere damnum, etiam si per prata iret.

Item Nicolao Patheco rota^{z)} in nemore reparanti, habenti pauxillum ignis, duas recepit marcas. Et Ioanni Sysek duas marcas cum quinque grossis, eunti cum pice apud novam minere officinam.

^{z)} sic in ms.

Annexum III. Ioannes Bieliński Alberto duci de gravaminibus:

Res vestras ad quietem et tranquillitatem deductas esse Illustrissimus Princeps, benignissimus Dominus meus, Dux Mazoviae, magna cum gratulatione et non mediocri gaudio audivit. Et vehementer gratulatur Vestram Celsitudinem cum Serenissimo Principe Rege Poloniae, suo vestroque communi Domino, in gratiam rediisse. Quam, ut est necessaria, puta avunculi et sororini, ita utili honestamque Vestrae Celsitudini fore ac perpetuo duraturam optat et desiderat. Non minimum commodi inde Suae Benignitati accessisse existimans, quod amicitiam et societatem cum Vestra Illustrissima Dominatione, sibi diu desyderatam, tandem inire et retinere licebit, presertim cum itidem^{a)} Vestrae Celsitudini a Domino Teoderico,^{b)} Oratore eius, in animo esse accepit. Et quoniam christianis Principibus, maxime quorum civitates et populi inter se contigui vel finitimi sunt, nichil pulchrius, nihil commodius, nihil denique tam decorum evenire posse Princeps Dominus meus clementissimus considerat, quam si firmo foedere ac sincera charitate inter sese coniuncti subiectos sibi populos secura tranquillitate frui et mutua commertia exercere paciantur, quam ob rem pacem concordiamque cum Vestra Celsitudine totis viribus amplecti cupit, et non ea modo, de quibus cum Regia Maiestate Vestra Illustrissima Dominatio convenit, ut debet, fir-

ma rataque habere dignatur, verum etiam omni officio ac studio se gratam eidem reddere conabitur, cupiens aboleri memoria, si quid aut intulit molesti Vestrae Celsitudini, aut ab ea accepit, cum non ultiro, sed ex quadam obnoxietate aut debito Regi Regnoque factum fuisse constet. Que omnia mutuis officiis charitatis pro tempore facile compensabitur.¹⁾

Insuper gratissimum ac iucundissimum est benignissimo Domino meo, Duci Mazoviae, Illustrissime Princeps, Ducatum hunc tam inclytum et potentem (iam dudum virtuti vestrae debitum) in hereditatem post tot labores et pericula Vestram Celsitudinem accepisse, quem paulo ante commepdatum quidem, sed tamen cum magna prudentia et aequitate administrabat et retinebat, ad hoc potissimum innitens, quemadmodum subditi eius tutas peregrinationes et secura commertia ubique haberent. Unde clementissimus Dominus meus Princeps eo alacrius promptius (cum iam pro suis et propriis faciendum erit) Vestram Illustrissimam Dominationem itidem²⁾ facturam sperat et aliqua ex parte fecisse vidit, cum Dominum Theodericum, Oratorem eius, ad se habuit, qui iniurias a subditis Vestrae Celsitudinis in Ducatu Mazoviae acceptas vindicaret. Quem cum benignissime et humanissime accepit, tum causas ab eo propositas quam iustissime decernere sine mora quavis Officialibus suis severe imperavit. Neque illi mandata neglexerunt.

Dominus Theodericus scit nihil esse omissum, quod ad iusticiam pertinere videbatur. Fecit autem hoc Dominus meus Princeps haud gravate, non ignorans societatem vicinis necessariam ac amicitiam cum Vestra Celsitudine optatam retinere aliter nullatenus posse, utque suo exemplo ad hec eadem facienda erga suos³⁾ subditos Vestram Illustrissimam Dominationem promptiorem experiatur. Nec secus aut melius suorum utilitati Vestra Celsitudo consulere potest, sive si eis cum mercibus in Ducatum Mazoviae proficiscendum est, sive ut inde res necessariae advehantur,⁴⁾ quam si promptam in omnibus faciet iusticiam, que sola societatis et humanae coniunctionis firmum et praecipuum habetur fundamentum. Quapropter ab omnibus, et Principibus precipue Rerumque Publicarum ac populorum Rectoribus, est amplectenda et manutendena.

Saepe iam ante ea, Clarissime Princeps, benignissimus Dominus Dux Mazoviae una cum fratre suo, cum viveret, quos Vestra Illustrissima Domination in sui absentia Ducatus rectores reliquerat, quosque arcibus finitimis preesse voluit, per litteras et Oratores admonuit, ut de iniuriis subditorum suorum iusticiam administrarent. At illi multa in adventum foelicem Vestrae Celsitudinis differebant, nonnulla vero negligebant. Quod clementissimus Princeps Dominus meus aequo tulit animo, non dubitans Vestram Celsitudinem prebituram, quod illi denegarint. Preterea consueverant maiores benignissimi Domini mei, Principes Mazoviae, ac predecessores vestri, Illustrissime Princeps, Magistri Prussiae, quasdam Dietas seu Conventiones annuas servare, in quibus omnes iniuria et causae subditorum utrinque iudicabantur, per quas tollebatur omnis occasio querimoniarum, quod subditi abstinebant a mutuis contumeliis, cum se iuditium in propinquuo subituros videbant. Proinde et occasio inimicitarum inter Principes auferebatur.

Que consuetudo satis laudabilis per quandam negligentiam abolita est. Tamen quia bona videtur esse, est in animo Illustrissimo Principi Domino meo eam reducere, si idem Vestrae Celsitudini placuerit. Quod si Vestra Illustrissima Domination probat, deputet aliquos ex suis Consiliariis, qui cum Consiliariis Principis Domini mei in loco, ubi libuerit,

convenient, et quemadmodum id fieri oportuerit, constituent. Et quoniam quidem officine minere ferrariae Illustrissimi Domini mei Ducis et Vestrae Celsitudinis propter vicinitatem solebant sibi invicem opitulari, licebat vestris in Ducatu Mazoviae mineram fodere et nostris in nemoribus ad Nydburg pertinentibus ligna excidere, quod belli tempore intermissum est. Et id Illustrissimus Princeps Dominus meus restituere vult, si Illustrissima Dominatio Vestra id idem non dedignabitur. Et videbitur profecto maximum amoris inditium et perfectae concordiae inter Vestras Illustrissimas Dominationes, si res suas sibi invicem pro commodo non denegabunt.

Cum veni hic in Konigsbergum, intellexi a Reverendissimo Domino Episcopo in causa Loryntz, civis Varschoviensis, cuius bona, videlicet vanczosz et clepky, ante bellum illata in Konigsbergum, iam post bellum accepta et divendita sunt, Vestram Illustrissimam Dominationem deliberasse, quod non debent reddi, tanquam belli iure accepta, quanquam Illustrissimus Princeps Dominus capta esse non iure censem. Tamen rogat ex benignitate Vestrae Celsitudinis aliquid restitui sibi. Nam et subditi Vestrae Celsitudinis multi, belli metu compulsi, in Ducatum Mazoviae cum rebus suis confugerant illicque per tempus guerrae perseverabant, et non modo incolumes, sed etiam ab omni iniuria immunes reversi sunt. Nec culpa Gdanensium, qui huiusmodi spoliorum auctores fuerunt, in Illustrissimi Principis Domini mei subditos reciprocari debet, qui nihil tale admiserunt, neque Principi meo benignissimo erat estque aliquid commune cum eis.

a) in ms. ibidem

b) in ms. suo

c) in ms. adveheantur

1) de Schlieben.

2) sic in ms.

N. 9.

Cracoviae, 5.VIII.1525.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
litteras ducis accepisse se nuntiat et causas ducis animum permoventes
intellexisse regique communicasse.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Abfui aliquot ebdomadis a Curia Regie Maiestatis, et interea Nunctius Illustrissime Dominationis Vestre venerat cum litteris eius. Quas ego cum rediens accepissem et perlegissem, intellexi ex eis, quam optime Illustrissime Dominationi Vestre cum subditis eius convenerit. Qua de re ego, ob singularem meam in eandem Illustrissimam Dominationem Vestram observanciam, mirifice sum gratulatus. Causas preterea, que animum Illustrissime Dominationis Vestre nunc potissimum agunt et permovent, ex eisdem litteris plene didici et eas Regie Maiestati, Domino nostro clementissimo, ita ut Illustrissima Dominatio Vestra voluit, patefeci, utque earum iustum rationem habere dignaretur, rogavi, et quo voluntati Illustrissime Dominationi Vestre aliquatenus satisficeret, pro virili mea operam impendi. Quantum autem a Regia Maiestate eidem Illustrissime Dominationi Vestre concessum est, et quantum ego apud

Maiestatem Suam pro illa assequi potui, id ex litteris eiusdem Regie
Maiestatis eadem Illustrissima Dominatio Vestra clare intelliget et pro
humanitate et virtute sua boni consulet, mea alioqui opera et servitute
semper deinceps usura... Datum Cracovie, die Sancte Marie Nivis, anno
Iesu Christi MDXXV.^{to}

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis servitor
Petrus Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscripsit.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 10.

Cracoviae, 5.VIII.1525.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
ad aliqua ducis postulata suo et regis [Sigismundi I] nomine respondet:
de subsidio pecuniario duci persolvendo et de civitate Braunsberga ei
certis conditionibus concedenda.*

Sigill.

HBA, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Reddite sunt mihi littere Illustrissime Dominationis Vestre, plene
omnis humanitatis et benevolentie, quibus abunde declarare dignata est,
quod primores ceterique Status Ordinis Theutonicorum in Prussia pacem
et contractum, per Sacram Maiestatem Regiam et Illustrissimam Domi-
nationem Vestram nuper christiane factum, sine ulla controversia appro-
baverunt, quodque vicissim Illustrissima Dominatio Vestra nolle eos, uti
par est christianum Principem, bonis possessis et alimonia eorum spo-
liare. Describere item dignata est causas tenuitatis sue petitque enixe,
ut status eius et provideatur et augeatur, utque illi civitas Bransberg
certis modis ac conditionibus per Maiestatem Regiam concederetur. Ac
illa duo millia florenorum, que pro festo Sancti Michaelis futuro illi a
Maiestate Regia iuxta tenorem contractus dari deberent, ad festum Sancti
Iacobi dissolverentur, et quod aliquod marcas argenti intra festum Nati-
vitatis Christi in monetam excudere possit. Et hec eadem plane ad
Sacram Maiestatem Regiam perscrripsit, me petens, ut consideratis for-
tunis Dominationis Vestre Illustrissime illi in hac peticione sua apud
Maiestatem Regiam adessem.

Mi Illustrissime Princeps et Domine mihi semper Colendissime, pri-
mum omnium ago et habeo Illustrissime Dominationi Vestre maximas
gratias, quod tam benignis et humanissimis litteris me invisere ac meam
operam ad res suas invocare dignetur. Ego promittere possum Illustris-
sime Dominationi Vestre, quod ipsa, ut sepius scripsi, habet Principem
meum Regem et avunculum Illustrissime Dominationi Vestre faventissi-
mum, ac nihil est, quicquid in manu Maiestatis Sue esset, et illi facere
liceret, quod non libentissime pro Illustrissima Dominatione Vestra pre-
staret. Hoc etiam vehementer probo, quod Illustrissima Dominatio Vestra

tam humanissimis litteris utitur ad Maiestatem Regiam et hiis se reddit illi ex gratissimo et amantissimo nepote multo gratiorem et amantiorem. Quod et ceteri Domini libentissime audiverunt.

Quantum igitur ad civitatem Bransberg attinet, ex litteris Regie Maiestatis causas actipiet, ob quas illius votis hac vice condescendere dignata non est. De numerandis vero duobus millibus florenorum, item et de moneta etiam, ex litteris regiis Illustrissima Dominatio Vestra intelliget, et non est opus ac neque refert repetere. Verum Maiestas Sua et pro debito necessitudinis sue ac etiam pro ea integritate et fide animique propensione ac obsequiis suis, que pollicetur, vult et intendit libentissimo animo talem Regem et avunculum se erga Illustrissimam Dominationem Vestram prestare, quem obsequentissimus nepos expectare debet, et modis omnibus honestissimis status Dominationis Vestre Illustrissime augendi et ornandi graciosam curam habere... Datum Cracoviae, sabbato Sancte Marie Nivis, anno Domini MDXXV.^{to}

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
totus quidquid est
Cristoforus de Schidloviecz, Palatinus et Capita-
neus Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius
manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 11.

Cracoviae, 4.X.1525.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae can-
cellarius,*

Alberto in Prussia duci

*de audiencia ducis oratori apud regem [Sigismundum I] subornata; de
legatis suis ad conventum a duce indictum designatis; de cussione
monetae.*

Sigill.

H B A, B 2, K.348.

Illustris Princeps Domine etc.

In negocio, quod Illustrissima Dominatio Vestra Nypssycz ad Regiam Maiestatem deferendum commisit, in hoc nullum studium, tum per me, tum per Dominum Nypssitz, praetermissum est. Subornaveram nimis Domino Nipschicz tempestive privatam audienciam, absentibus tum omnibus aliis Suae Maiestatis a consilio. Si Dominus Nyschicz abfuisset, ego certe id provinciae haud gravatim obvissem. Nam ut in his, ita et in aliis quibuscumque Vestrae Illustrissimae Dominationi gratificari sum paratissimus. Porro quod attinet Magnificum Dominum Georgium de Bayen, Marienburgensem Palatinum, atque Generosum Dominum Achacium Czema, Capitaneum Sluchoviensem, illos Sua Maiestas cum decenti equitatu ad Conventum pro dominica proxima post festum Simonis et Iude Apostolorum deputavit eundos ad eum locum, ubicunque huiusmodi Conventus per Illustratatem Vestram indictus fuerit.

Qui se ea in legatione ita gerent, ut per Illustrissimam Dominationem Vestram edocti fuerint in his, quae ad bonum tranquillumque statum subditorum eiusdem spectare videbuntur. Ut autem in hoc procedendum sit, non dubito, quin Illustrissima Vestra Dominatio tali re sciencior atque experientior sit, quam ut doceri debeat. Quatenus ad mandata Suae Maiestatis, ad Dominum DuceM Masoviae, ad Dominos Palatinos et Capitaneos, simul et universam nobilitatem districtuum terrarum Prussiae, illa in Cancelleria mea diligenter scripta et sigillata ac cum cubiculario Suae Maiestatis ea ratione, ut peciit, expedita sunt. Quorum mandatorum exempla his annexa transmitto. Quibus situm tocius rei affatim cognoscet.

De cussione monetae et caeteris Illustrissima Dominatio Vestra tum ex literis Regie Maiestatis, tum Domini Nyschicz, intelliget... Datum Cracoviae, quarta Octobris, anno Domini MDXXV.

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
totus quidquid est
Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellerius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

N. 12.

Cracoviae, 19.X.1525.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci
de motibus rusticaniis in Ducatu Prussiae excitatis; de sua erga ducem
diligentia et studio.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.348.

... Illustrissime Princeps etc.

Dici non potest, quam vehementer doleo turbas illas rusticanas in Ducatu Illustrissime Dominationis Vestre excitari. Que licet, ut arbitror, pro summa prudencia et in rebus bene gerendis dexteritate Illustrissime Dominationis Vestre sedabuntur, fieri tamen id non potest sine labore et sumptu. Quod igitur et prioribus et hiis novissimis litteris operam meam invocare dignata est, ut Serenissima Maiestas Regia Illustrissime Dominationis Vestre gentibus adesset, mi Illustrissime et Excellentissime Princeps, spero, quod ex proximis litteris meis intellexit Illustrissima Dominatio Vestra diligenciam meam, nec opus est repetere ea, que iam facta sunt. Emisse sunt enim littere restium, iuxta postulacionem Illustrissime Dominationis Vestre, et non dubito iam proceres et nobilitatem terrarum illarum in armis esse. Verum quod attinet militem mercenarium in Ducatum Illustrissime Dominationis Vestre admittendum, nihil de hiis Illustrissima Dominatio Vestra prioribus litteris attigerat. Nunc scribit quidem, sed angustia temporis id facere non permittit, quod necessitas postulat. Quid autem in hac re Sacra Maiestas Regia decre-

verit, Illustrissima Dominacio Vestra ex litteris Sue Sacre Maiestatis affatim cognoscet. Rogo, sit boni animi Illustrissima Dominatio Vestra, quia eam Sacra Maiestas Regia pro viribus suis minime derelinquere dignabitur.

Quantum me attinet, si essem ego in partibus Masovie, in castris et possessionibus tenute mee, essem autem libentissime, nisi tot curis et serviceis Regie Maiestatis distinerer, revera ipsemet, cum omnibus familiaribus meis et amicis, ad Dominacionem Vestram Illustrissimam accurrerem et eidem pro virili mea adessem. Quamquam, ut dixi, nihil prorsus dubito, quin Dominacio Vestra Illustrissima motus istos citra magnam difficultatem, Deo bene iuvante, componet et extinguet. Nova nulla alia habemus, quam quod fama venit, qualiter gens Tartarica adversus Turcorum exercitum prevalueret. Qui exercitus missus erat a Cesare, ut constitutum ab eo Imperatorem Tartaris, demum expulsum, in sedem reduceret et firmaret... Datum Cracoviae, decima nona Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
totus quidquid est
Cristoforus de Schidloviecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius
manu sua.^{b)}

a).b) *manu propria.*

N. 13.

Gnesnae, 28.X.1525.

*Ioannes Laski, archiepiscopus Gnesnensis,
Alberto in Prussia duci
scire vult, quid sibi summo pontifici respondendum sit quaerenti, quibus
ex causis dux statum religiosum in saecularem mutaverit.*

*Vest. sigilli.
H B A, B 2, K.348.*

Illustrissime Princeps etc.

Posteaquam Magnificus Dominus Ieronimus de Lasko, Palatinus Sira-
diensis, nepos noster, ex observanti devinctoque animo, quem in
Vestram gerit Illustritatem, iter ad eandem Illustritatem Vestram pro-
sequeretur, cui rei etiam nos perlungenter subscribimus et gratificamur,
incidit in quandam necessitatem eius Domini Palatini, nepotis nostri,
privatum et magni ponderis presentaneumque negocium, quod ei litteris
nostris ad eum hoc presente portitore missis indicavimus, rogamus itaque
Vestram Illustritatem, ut si idem nepos noster ab ea se iam recepit,
vel forsan alibi in terris Prussie nunc agat, dignetur efficere, ut is Nuncius
noster ad eum et tandem ad nos redditurus tuto perveniat.

Ceterum pro nostra in Vestram Illustritatem observancia nolumus
eam latere, quia Summus Pontifex¹⁾ nobis iam secundo scripserit, requi-
rens ex nobis idque diligencius et exactius, quibus ex causis Regia
Maiestas Vestram Illustritatem ex religioso secularem Ducem creaverit,

tametsi scribat se rei geste ordinem et pacta concordie non ignorare, idque Sanctitati Sue per Reverendissimum Cardinalem Legatum de latere,²⁾ olim in Ungaria agentem, adamussim denunciatum. Atque ita extra omnem cunctacionem in ea re Sue Clemencie responsuri sumus, sed ex sentencia Sacre Maiestatis Regie, Domini nostri, quam proximis litteris nostris a Maiestate Sua peciimus, nondum tamen Sua Maiestas Regia nos edocuit, qualiter ex sentencia Sue Regie Maiestatis Summo Pontifici respondere debeamus. Quia vero non ab re visum erat nobis, ut pari modo sicut ab Regia Maiestate, sic ab Vesta Illustritate ad respondendum voluntatem et sentenciam exposcamus, igitur cum agatur res persone Illustritatis Vestre, quia pro status sui permittacione rogamus, ut Vesta Illustritas nobis suggerat, siquidem videbitur ei favendum, qualiter Sanctitati Sue respondeamus, scilicet que cause permevant Regem ad talem concordiam faciendam, qua mediante ex regulari secularis Dux Prussiae crearetur, necque contemnat Illustritas Vestra, ut Summo Pontifici consulta respondeatur. Veremur enim, ne diurna¹⁾ cunctacione responsi nostri quicquam adversi apud se Summus Pontifex in ea re confirmet, ne quoque admiracio et novitas status mutati aliquando, presertim per commoditatem, que communiter ex partibus non faventibus oritur, apud Principem, qui caput est summum Orbis Christiani, pareret id, quod difficilius foret... Datum Gnezne, die Sanctorum Simonis et Iude Apostolorum, millesimo quingentesimo vigesimo quinto.

Ioannes, Dei gratia Sancte Ecclesie Gneznensis
Archiepiscopus, Primas et Legatus Natus.

2) *sic in ms.*

1) *Clemens VII*

2) *Thomas Cajetanus de Vio (vel Laurentius Campeggio?)*

N. 14.

Kroze, 31.X.1525.

*Stanislaus Janowicz, castellanus Vilnensis et capitaneus Samogitiae,
Alberto in Prussia duci
quinque millia militum se duci conduxisse nuntiat.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.348.

Durchlauchter fursthe etc.

Ewer Furstligen Gnade, schrifte, geben won kuniglicher maiestets, wir wol haben worstanden. Und uw Ewer Furstlichen Gnade beger habe wyr unser eddellewte lossen worbetten und yn worgeleight kenigliche bethe, wor Ewer Hochfurstliche Gnade eyne swlche worsickunge und ausruffunge fwlickes resiges gehews, firtausent ist yn wnserem lande schon ausgegangen. Geben zw Crozin an Allerheligen Obent anno 25 dat [um].

Stanislaus Janowitz Castellanus Wilauw
hewptman der erden Samaythen.

Bratian, 16.XI.1525.

*Ioannes Wieczwiński, castellanus et tribunus Plocensis,
Alberto in Prussia duci
de Ducatus Prussiae turbationum pacatione gaudet; mittit exemplum legationis imperatoris [Caroli V] ad regem Poloniae [Sigismundum I]; nuntiat de Comitiis generalibus ad diem 6.XII. indictis, in quibus de rebus Prussiae agendum erit; scribit aliqua nova externa.
Vest. sigilli. Autogr.
H B A, B 2, K.348.*

Illustrissime Princeps etc.

Testis est michi Dominus Deus, quia sicut ex puro corde compaciebar intestinis turbacionibus Ducatus Illustratis Vestre, ita ex fida mente ago gracias sue divine bonitati, que Illustratatem Vestram admonuit, quod huiusmodi motus pro optima et preclara Illustratis Vestre prudencia pacati sunt satis placide. Qui ut sint perpetuo bene extincti firmiter, valde concupisco. Exinde enim et privatum Illustratis Vestre et publicum magnum commodum perspicio futurum, dum pro tam magno facinore dignabitur quoque Illustritas Vestra perpetuum iugum eis imponere, et putarem, ut durius quam in aliis provinciis Regni Polonie, et presertim dum ad presens dederunt ipsi maximam occasionem iustum et deificam, ut dum illicitis modis voluerunt eis vendicare perpetuam libertatem, quod exinde digne actipient perpetuum laborem, per quem brevissimo tempore senciet Illustritas Vestra apud se et suos nobiles amplitudinem fortunarum. Que omnia Illustritas Vestra sua optima sapientia mature metiri melius sciet. Ego tamen, pro mea in illam observancia, hec significare et Illustratati Vestre congaudere negligere nolui, sicut quoque non neglexissem et Illustratati Vestre servivisse,¹⁾ dum per illam requisitus fuisse, prout et in Convencionibus novissimis Prussie, quantum expediens fuit, servivi.

Quia firmiter credo Illustratatem Vestram ex animo concupiscere tranquillum statum rerum christianarum, ideo mitto Illustratati Vestre exemplum legacionis Oratorum Cesaree Maiestatis apud Sacram Maiestatem Regni Polonie, Dominum meum clementissimum, habite. Per quam Illustratas Vestra intelliget optimum mutuum Suarum Maiestatum amorem, quem Dominus Deus pro bono christiano augere et conservare dignetur. Nec ab re quoque Maiestas Serenissimi Domini Regis mei constituit tocius Regni Generalem Dietam et Convencionem pro die Sancti Nicolai proximo Piotrkovie. Iam itaque post paucos dies iturus sum ad Suam Maiestatem Sacram Regiam, cui et toti Senatui Regni dignius fuit, ut litteras feudacionis Ducatus in Prussia et perpetui nexus obtulissem sub maiori quam minori sigillo Illustratis Vestre, a qua tanto tempore illud habere non potui. Sed neque copias antiquorum privilegiorum quandam Ordinis in Prussia. Et sic ex parte Illustratis Vestre in omnibus fuisset satisfactum contractui. Ideo Illustratati Vestre, quantum ipsa postulabit, pro posse meo hilari animo morem gerere curabo.

Sacre Maiestates Regia et Reginalis Hungarie¹⁾ etc., licet ex gracia divina optima perfruuntur sanitate, tamen non carent magnis turbacionibus Regnorum suorum. Imprimis, contra Suarum Maiestatum voluntatem, antiquus Palatinus Regni depositus, novus creatus Steffanus de Werbecz,²⁾ officiales antiqui depositi, novi ad multa officia impositi etc.

Bolubek,²⁾ Turcorum copiis congregatis sub Alba Regali, querit opportunitatem, ut illi Regno dampnum ingens inferat vel aliqua castra et terras iterum occupet. Quo fit, ut ille. Maiestates Regie exiverunt de Buda usque Thata, et spero, quod post paucos dies constituentur Posonii. Quos divina bonitas bonis consiliis adiuvet, cum illud Regnum indies magis et magis fervet magnis motibus domesticis.

Non caret Slesia suis malis. Boemia quoque plena magnis mutuis odiis. Fortassis et Cesarea Maiestas iterum cogetur Venetis novum indicere bellum. Qui dum nova volunt mirabilia querere suffragia, Orator³⁾ Serenissimi Domini Regis mei cum magno honore et decore susceptus per Cesarem Turcarum. Exinde speramus optatam expedicionem.

Estate preterita nisi Turce cum Tartaris habuissent mutuas cedes, non caruisset Polonia periculis. Sed Tartari tres victorias insignes obtinuerunt in Turcis. Faciat Dominus Deus graciam, ut se ipsos consumant. Sed fortassis iam tractant pacem, ut mutuus viribus Regna christiana occupent vel destruant.

Licet hec et alia plura ex aliis Illustritas Vestra non ignorat, tamen, pro meo in illam officio, volui Illustritati Vestre de felicibus successibus congaudere et ista quoque significare... Ex castro Bratian, feria quinta post Sancti Martini 15XXV.

Iohannes ex Vieczuna in Carnisin heres,
Castellanus et Tribunus Plocensis, Capitaneus in Brathian.

2) sic in ms.

2) recte: Bebek

a) nomen in margine.

3) Stanislaus de Sprowa Odrowąż, cast. Żarnoviensis.

1) Ludovicus II Jagellonicus et Maria Austriaca

N. 16.

Torunii, 5.XII.1525.

Iaroslau [Hieronymus] Łaski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
dolet notitiam de [Erici] ducis Brunsvecensis in Ordinis Theutonici magistrum creatione sibi non esse communicatam; suadet, ne dux interim catholicas missas et ritus prorsus aboleat.
(Cum schedula adiuncta)

(Orig., sine sigillo)

H B A, B 2, K.348.

... Illustrissime Princeps etc.

Mitto litteras Sacre Regie Maiestatis, Domini nostri pientissimi, ad Vestram Illustrissimam Dominationem datas. Quibus (uti intellexi) respondet litteris manu Vestre Illustritatis scriptis atque Sue Maiestati Regie indicantibus Dominum Bransvecensem Ducem esse in Generalem Ordinis Alenanici²⁾ Magistrum creatum et confirmatum. Quod novum Vestra Illustrissima Dominatio, cum istic apud illam essem, comunicare mihi dignata non est, quod tum scivisse mea multum refferre videbatur, ut ob devinctum in Vestram Illustritatem animum meum isti negotio et talibus illius litteris (alioquin apud Maiestatem Regiam magni ponde-

ris) officio ministerii mei per amicos meos, qui ad latus regium sunt, nonnihil commodare potuissem. Quod si forsan opera mea et amicorum meorum litteris ipsis Illustritatis Vestre nichilo magis erat necessaria, subdoleo tamen, quod et in ea re summmum studium meum et ministerium officiosum Vestre Illustrissime Dominationi non valuerim demonstrasse. Scripta enim mihi sunt nonnulla, que Regie Maiestati ad aurem per aliquos susurata sunt, que Illustrissima Dominatio Vestra eque, uti scribebam, suspicari potest, nam mihi non licet fidei data²⁾ meae apperire, tamen pro nunc Dominationi Vestre Illustrissime minus nociva, nisi forsan sub tempore nocere possent.

Quam primum tamen mihi dabitur aliqua de his cum Regia Maiestate loquendi ansa, non negligam ego veritatem atque dignitatem Illustrissime Dominationis Vestre et verbis et modis omnibus tueri. Ceterum Lutherana dogmata apud Regiam Maiestatem ac Senatum eius summo despiciatui esse credat, et ob id perlubens acciperem, ne Vestra Illustrissima Dominatio adeo publice in animum inducat ritus Ecclesie Romane apud se esse deiectos, verum eos recognoscere aliquantulum et observare velit, sicuti missas more Romano, altaria in ecclesiis, quia ista apud nostrates pessime sonant, et multi ex Dominis et populo, qui studiosissimi sunt Vestre Illustrissime Dominationis nomini, (sicuti nescientes scripturas) abhominantur.²⁾ Nam nostri licet parum etiam Papam¹⁾ curent, tamen orationes, ieunia et rittus missarum amant et observant. Reliqua credo brevi etiam subsequentur. Itaque enixe rogo, dignetur monstram saltem eius rei facere, hoc presertim tempore, quo Pontifex apud Regem nostrum et alibi non dormit, nam per id primum Sacre Maiestatis Regie, tum aliorum, qui in adversum consultant, sibi plurimum est reconciliatura. Inclusas etiam mitto Vestre Dominationi Illustrissime litteras ad me per Regiam Maiestatem scriptas (quas lectas rogo remitti et id solis Episcopis comunicare), ex quibus aliquid poterit subolfacere.

De Regum Hungarie²⁾ et Polonie congressu nihil certi scribere possum, nec de adventu Regio huc Torunium. Quicquid tamen his de rebus intellexero, quam primum perscribam. Mitto Vestre Illustrissime Dominationi nova de inclito meo Gallorum Rege,³⁾ superioribus novis optime letus. Bibo ad Illustrissimam Dominationem Vestram ein gutten storken Trungk pro illius Christianissime Maiestatis bono et sanitate... Torunii, in crastino Barbare, anno 1525.

Lecte dentur igni, rogo.

Perpetuus servitor Iaroslau de Lasko etc.
Palatinus Siradiensis.

Schedula adiuncta:

Illustrissime Princeps, quidam civis Poznaniensis Lucas Rasek nomine, preclarus profecto atque dives mercator, passus est magnam ignominiam et damnum non modicum a quodam Norembergensi Hans Joan cive. Qui eum quadam calumnia conficta arrestaverat in Lipczygk. Is Lucas habet innocencie sue a civitate Lipcensi litteras velletque ire Norembergam ad agendum ac agrediendum illum Hans Joan iure, ubi ad sublevandam et finiendam iusticiam suam habet a Regia Maiestate, Domino nostro, litteras ad Norembergenses promotiales, sed non minus sciendo litteras Vestre Dominationis Illustrissime quam regias fore proficuas, petiti me, ut etiam per vices meas in eam sententiam litteras ab Vestra Illustrissima Dominatione posset optinere. Itaque plurimum rogo,

dignetur mihi Vestra Illustrissima Dominatio eciam litteras promoventes
hoc eius Luce negotium ad cives Noremburgenses dare. Quo facilius ipse
cognoscat et me id a Vestra Illustrissima Dominatione optinere valuisse,
et se consecutum esse magnam spem et rerum suarum consolationem.
Rogo plurimum has litteras per presentium [exhibitorem] mitti.

1) *Clemens VII.*

2) *Ludovicus II.*

3) *Franciscus I.*

z) *sic in ms.*

N. 17.

Różany, 15.XII.1525.

Ioannes (Janusz) dux Masoviae

Alberto in Prussia duci

litterae fidei pro legato suo Ioanne Dąbrowski, ad ducem misso.

Sigill.

(*Annexum: Instructio pro legato ad ducem Albertum misso*)

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Commisimus huic Secretario nostro, Honorabili Ioanni Dambrowsky,
Notario terre nostre Ciechanoviensis, aliqua ex mente et informacione
nostra refferre Dominacioni Vestre Illustrissime. Quem rogamus benigne
accipiat audiatque et eidem, atque nobis, credit in omnibus, que a nobis
est dicturus... Ex Rozan, feria sexta in octava Concepcionis Virginis
Benedicte Marie, anno MDXXV.

Ioannes, Dei gratia Dux Masoviae, Russie etc.

Annexum. Instructio pro legato Ioanne Dąbrowski:

Articuli ad Illustrissimum Dominum Ducem Prussie etc.

Illustrissimus Dominus Janusz Dux Masoviae tempore gwarre et
commocionis rusticorum terre Prussie in dominiis Illustrissimi Domini
Alberti Marchionis Brandenburgensis et Ducis Prussiae, ad postulacionem
subsidiu per Oratores Suae Illustritatis, tum eciam antea per Dominum
Episcopum Semburiensem¹⁾ factam, paratus erat per omnem opportunitatem
huic negocio vicino, uti amico et sanguine iuncto, adesse non modo
aulicis et militibus precio conventis, verum et cum omnibus subditis suis.

Et si tam arduum negocium et res ipsa exposcerent, in propria
persona hunc laborem et fatigam, ob conservacionem bone amicicie et
vicinitatis, voluit exequi et in subsidium, uti amico et vicino optimo,
affore.

Ex quo tamen Sua Illustritas id pro voto suo sedavit et sine
efusione sanguinis coercuit, quam libentissime id ex affectu favet et
gratulatur de tanto nomine gloriose Sue Illustritatis, quod undique est
disparsum per omnia dominia terrarum externarum.

Illustrissimus Dominus Dux Masoviae, Dominus meus clementissimus,
libenter observaret omnes consuetudines, diu antea laudabiliter obser-
vatas per predecessores Sue Illustritatis, tum eciam per predecessores

terrarum Prussie, prout antea observabantur, et hoc in Dietis consuetis, iuxta articulos et recessus antiquos, in locis antea fieri et celebrari consuetis.

Pro quibus Dietis Sua Illustritas affectat, ut renovarentur, prout antea erant.

In quibus Dietis debetur iusticia ministrari cuilibet per Consiliarios utriusque dominii, ad hoc deputatos. Et exinde erat observata bona vicinitas et amicicia inter subditos et officiales in confiniis utriusque dominii.

Quibus Dietis nichil intererit ex parte Illustrissimi Domini Ducis Masovie, tum eciam Consiliariorum Sue Illustritatis, dum aderit voluntas Vestre Illustrissime Dominacionis.

Illustrissimus Dominus Dux Masovie postulat, ut omnes homines Sue [Illustritatis], cmetones profugi, restituerentur econtra ex terris Prussie dominii Vestre Illustrissime Dominacionis subditis Domini Ducis Masovie, ubi reperti fuerint, pro quibus ipsi sepissime coram Sua Illustritate in querellis exponunt.

Illustrissimus Dominus Dux Masovie similiter omnibus officialibus et subditis suis demandabit, ut huiusmodi homines profugi ex terris Prussie dominii Vestre Illustritatis restituerentur, ubi reperti fuerint.

Ceterum, Illustrissime Princeps, sicut Vestra Illustritas litteris commendaticiis scribere dignata est pro Nicolao Mrokowski, ut Illustrissimus Dominus Dux Masovie Dominus meus clementissimus, ipsius excessibus et delictis favorabilem et graciosum sese preberet.

Sua Illustritas, ad intercessionem Vestre Illustritatis, tum eciam Consiliarii eiusdem, cupiendo gratificari intercessioni Vestre Illustritatis, illum circa bona ipsius et collum ac famam, que omnia propter facinora sua ex statutis terre Masovie ammittere debuit, remiserat, propter tamen correctionem aliorum ad carceres decreverat illum ad certum tempus. In quibus tamen existens, ob intercessionem Vestre Illustrissime Dominacionis satis amplam graciam cognoverat.

Ipse tamen, uti importunus et immemor gracie Illustrissimi Domini Ducis, effractis crateris ferreis ex hac captivitate aufugit.

Propterea Sua Illustritas petit, ut si ipsum contigerit configere ad dominia Vestre Illustrissime Dominacionis, ne locum habere possit apud subditos aut officiales terrarum Prussie dominii Vestre Illustritatis.

Unus ex subditis Illustrissimi Domini Ducis Masovie, nomine Nicolaus Crziwonoski, qui ob scelera sua aufugit ex terra Masovie et immoratur aliquando hic in terris Vestre Illustritatis in districtu Nydboriensi, Sua Illustritas, Dominus meus clementissimus, petit, ut, similiter uti et Mrokowski, nullibi observaretur in terris Prussiae.

Illustrissimus Dominus Dux Masovie, Dominus meus clementissimus, nullum huiusmodi hominem, quicunque tamen esset profugus ex dominio Vestre Illustritatis, vult conservare in terra sua contra voluntatem Vestre Illustrissime Dominacionis, ut amici et sanguine iuncti charissimi.

Illustrissime Princeps, unus ex subditis Illustrissimi Domini Ducis Masovie, Domini mei clementissimi, nomine Loryncz de Varshovia, sepiissime exponit coram Sua Illustritate iniurias suas, que sunt eidem illata per unum subditum Vestre Illustrissime Dominacionis, nomine Hannus Sholcz, de civitate Montis Regii, ob recepcionem bonorum ipsius et mercanciarum, quas ipse hic habuit in littore dominii Vestre Illustritatis, circa civitatem Montis Regii, et que ipse Ioannes Szholcz eidem minus iuste recepit, bello iam peracto infra inducias pacis.

Propterea Illustrissimus Dominus Dux Masovie, Dominus meus clementissimus, rogit Vestram Illustrissimam Dominacionem, ut huic subdito Sue Illustritatis mandaret bona ipsius et mercancias per eundem Ioannem Sholcz, subditum Vestre Illustrissime Dominacionis, minus licite ac iuste receptas restituere, aut valorem eorundem bonorum persolvere. Nec dubitat Sua Illustritas Vestram Illustrissimam Dominacionem, uti amicum et sanguine iunctum, ob conservacionem bone vicinitatis in administranda iusticia huic subdito Sue Illustritatis. Et Sua Illustritas eciam, si quid tale contigerit, vicissim rependere conabitur Vestre Illustritati et unicuique subdito ex terris et dominiis Vestre Illustritatis.

Reliquum est, Illustrissime Princeps, cum Vestra Illustrissima Dominacio post contractus et amicabilem compositionem cum Maiestate Regia in terram Prussiae et dominium suum feliciter redire dignata est, Illustrissimus Dominus Dux Masovie, Dominus meus clementissimus, tempestive procuravit per suum Oratorem sanitatem et felicitatem omnem Vestre Illustrissime Dominacionis invisere, tum eciam de pacificatione dominii et omnium terrarum Prussiae congratulando, quod Sua Illustritas ex affectu favet et libertissime vidit. Infortunio tamen factum est, quod Orator Sue Illustritatis protunc in terra et dominio Prussiae Vestram Illustrissimam Dominacionem non perstitit, prout Dominus Episcopus Semboriensis, qui hanc legacionem ab Oratore Sue Illustritatis, residens in loco Vestre Illustrissime Dominacionis tanquam Gubernator, in absencia eiusdem plane audivit, clarus et liquide ac adamussim eandem Vestre Illustrissime Dominacioni referre potuit.

Unde Sua Illustritas petit, Dominus meus clementissimus, ne velit alterius opinionis fore, preterquam uti de amico, qui semper in omnibus conservacionem Vestre Illustrissime Dominacioni cupit, veluti vicino suo optimo et sanguine iuncto charissimo.

1) Georgius Polenz.

N. 18.

Petricoviae, 29.XII.1525.

*Ioannes Wiecwiński, castellanus Plocensis,
Alberto in Prussia duci
de maiori sigillo ducis ad litteras pacis perpetuae inter Regnum et
Ducatum Prussiae apponendo; de nova confoederatione inter prin-
cipes christianos inita, imperatore [Carolo V] excluso; de tumultibus
in Hungaria; de oratore ducis Moscoviae [Basili] ad Sedem Aposto-
licam misso; de regis Galliae [Francisci I] et ducis Mediolani [Fran-
cisci II Mariae Sforza] aegritudine; de Fuggeris per Hungaros spo-
liatis etc.*

Vest. sigill.

H B A, B 2, K.348.

Illustrissime Princeps etc.

Reddite sunt michi aduc in Brathian littere Illustritatis Vestre sermone Latino apud omnes gentes pergrato, per quas sapienter et benigne michi ad omnia Illustritas Vestra, sicut Dominus fautor meus dignissimus et colendissimus, respondit preter unum, et ipsum summe

nectessarium negocium, tam Sacre Corone Regni Polonie quam Illustritati Vestre et eius Illustrissimis posteris accommodum, quod penitus Illustritas Vestra, vel ex industria vel inter tumultus tunc negotiorum, occupacionum, obmisit scilicet, ut appossum fuisse maius sigillum Illustritatis Vestre ad pacis perpetue Prutenice Confederacionis literas, quas dum hic Sacre Maiestati Regie, Domino meo clementissimo, et universo Regni Senatui presentavi in publico consilio, res ipsa non paucis displicuit et quandam admiracionem importavit, quare videlicet Illustritas Vestra maius sigillum, ut debuit, non apposuit. Ideo Illustritas Vestra, pro sua optima prudencia, sciet talibus remedium adhibere. Nos hic septi sumus locis propinquissimis pestiferis, non sine gravi metu pestis tractamus negotia publica, que pocius ex divina bonitate quam ex nostro consilio dependent, presertim sub tam admirandis mutacionibus Orbis Christiani.

Iterum Summus Pontifex,¹⁾ Rex Anglie,²⁾ Regnum Francie, Veneti, Rex Portugallie³⁾ et multi alii Principes christiani novam confederacionem suscepserunt, Sacra Cesarea Maiestate penitus exclusa. Verendum, ne bellum in Orbe Christiano atrocius recrudescat priore. Dominus Deus illuminet corda tot et tantorum Principum, ut aliquando se ad pacem securam convertant sub tantis populi christiani afflictionibus. Mense enim preterito Barbicon, Capitanus exercituum Turcorum, manu forti et potenti intraverat Stiriam et Carinthiam, quas provincias quasi pro certo spoliavit, vastavit et ingentes predas exinde ditissimas pacificus abegit. Sed et in redeundo male visitavit nonnullas provincias Regni Hungarie, quas terribili malo afflixit et quasi ad defectionem nonnullos coegit et dominio ac imperio Turcorum subegit. Et dum longo satis tempore grassatus est in tantis Regnis et Ducatis, incolmis, salvis et absque ullo impedimento (proch dolor!) onustus et gloriosus periculis evasit.

Actedit ad hoc quoque non minus malum, quod tam in Regno Hungarie, quam Boemie, fiunt sepius, ymo crebrius magne magnatum et populares convenciones, in quibus fiunt manifeste conspiraciones, ymo et coniuraciones. Que omnia facta sunt et indies augentur preter voluntatem regiam etc. Et quod exinde elici potest, Dominatio Vestra Illustrissima sua sapientia id emitiri sciet etc. Hec et alia mala citto sciemus habundius ex Oratore Hungarico, qui propediem hic venturus est, et non pauci alii etc.

Dux Moscovie habuit suum Oratorem apud Sedem Apostolicam, que ad ipsum Duxem Episcopum Scoreensem⁴⁾ misit, ut eum reduceret ad bonam amiciciam et coniunctionem cum Principibus christianis etc., observata iusticia et dignitate imprimis in toto Regis mei Serenissimi.

Die XXIII Septembbris preteriti^{a)} Rex Francie Christianissimus adeo fuit gravatus et oppressus egritudine et nocte sequenti fuit sine loquelle et absque ullis corporis viribus, ut putaretur mortuus. Quem Cesarea Maiestas personaliter aliquociens visitavit et humanissime ore proprio consolatum fecit, exhortando, ut nichil aliud curaret quam valetudinem, sese longe magis vitam eius desiderare quam statum eius aut Regnum. Sed iam optimam recuperavit sanitatem, et paulo antea Regis Anglie ad Cesaream Maiestatem venerant Oratores, per quos Cesari denunciavit perpetuam dissolucionem affinitatis. Interea eius intelecta egritudine, Illustrissima Domina d'Angoulême, soror Christianissimi Regis,⁵⁾ venit fratrem suum invisere. Que a Cesarea Maiestate magno honore suscepta, ita quod Cesar venit ei in obviam usque ad scalas etc.

Dux Mediolani per dies multos dum gravi egritudine fuit oppressus,

ymo laboraret desperate, Hieronimus Moronus, qui primas partes in omnibus tenuit apud Ducem Mediolani, potens in omnibus, per Cesareos coniectus est in carcerem, tanquam animum Ducis Mediolani a Cesare ad Gallos per occasionem alienare tentaret, quia Dux Mediolani Cremonam et Mediolanum in suis habet manibus.

Illustris Princeps Dominus Dux Mazovie⁶⁾ etc. cum optima modestia per suum Nuncium fecit hic memoriam, quod fieret iusta indicacio et prospectio, quem locum et ille et Illustritas Vestra sit habitura in Senatu incliti Regni Polonie. Cui data est eqwa in utramque partem responsio benigna.

Illustris Dominus Dux Legniczensis Fridericus rem difficilem habet pro capitaneatu Glogoviensi, in quem per favorem Serenissimi Regis Hungarie Illustris Dominus Dux Carolus⁷⁾ etc. se intromittere studet. Et hoc quoque erit non sine incommodo Slesie, dum tanti Principes, et presertim Illustritatis Vestre affines, inter se tanta conspirant odia, etc.

Illustris Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis etc., germanus Illustritatis Vestre charissimus, proxime preteritis diebus, scio optime, sanus permanxit Slesie.

Domini Hungari per vim spoliaverunt, ut ipsi asserunt,^{b)} Dominos Focarones fodiinis aureis, in quibus Focaronibus actepta sunt, ut testatum faciunt, plusquam centum millia florenorum et sexcenti eqwi. Qua in re bonus Illustritatis Vestre servitor, Dominus Nipsicz, ex curia Serenissimi Domini Regis mei protegit ipsam causam Dominorum Focaronum, quibus assistunt non pauci Principes Germanie. Negocium ipsum est in tractatibus. Speramus et optamus felicem finem.

Aves, quas Illustritas Vestra, faltones, misit, et Sacre Maiestati Regie, Domino meo clementissimo, et Magnifico Domino Palatino Cracoviensi, Regni Polonie Suppremo Cancellario⁸⁾ etc., fautori meo prestantissimo, optime sunt perlate et grato animo suscepere, ita quod ipse Dominus Palatinus Cracoviensis, benefactor meus colendissimus, ornavit apud Maiestatem Regiam munera verbis, sicut is, qui Illustritati Vestre in omnibus placere studet, et cum reliquis avibus ipsos Illustritatis Vestre servidores humanissime expedivit.

Hec, que ad presens potui, Vestre Illustritati, prout ipsa voluit, perscripsi, cui non solum in hiis, verum in quibus potero, placebo... Ex Piotrkow, feria sexta ante Circumcisionem Domini 15XXV.

Vestre Illustritatis deditus
Iohannes de Vieczuna in Carnisin heres,
Castellanus et Tribunus Plocensis, Capita-
neus in Brathian.

a) preteriti *super lineam scriptum*.

b) ut ipsi asserunt *super lineam scriptum*.

1) *Clemens VII.*

2) *Henricus VIII.*

3) *Ioannes III.*

4) *Ioannes Franciscus Citus de Potentia ep. Scarense.*

5) *Margarita.*

6) *Ianussius.*

7) *Munsterbergensis.*

8) *Szydłowiecki.*

1526

N. 19.

Petricoviae, 15.I.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

mittit litteras ducis Caroli Munsterbergensis.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

Illusterrissime Princeps etc.

Mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae litteras ab Illustri Domino Duce in Slesia Minsterbergensi. Qui me litteris suis petiit, ut eas ad Illustrissimam Dominationem Vestram nacto nuncio remitterem, super quibus idem Dominus Dux responsum ab Illustrissima Dominatione Vestra petit. Alia non succurrunt... Datum Piotrkovie in Convacione Generali, quindecima Ianuarii, anno Domini MDXXVI.

Cristophorus a Schidlowetz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis, Regni Poloniae Supremus Cancellarius.

N. 20.

Petricoviae, 19.I.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

*per Achacium Czema duci se respondisse nuntiat; mittit nova quaedam,
i.a. de expectato adventu oratorum imperatoris, archiducis Austriae,
summi pontificis et regis Hungariae; significal obitum Iacobi Fugger;
mittit litteras a Carolo duce Munsterbergensi.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illusterrissime Princeps etc.

Inter hasce nostrorum Comiciorum occupaciones non possum Illusterrissime Dominacioni Vestre tam abunde, ut vellem, scribere. Unum id significo, Dominum Achacium Czema, Prefectum Slochoviensem, omnia

michi affatim declarasse semotis arbitris, que illi ab Illustrissima Dominatione Vestra fuerunt demandata. Ad illa medio eiusdem Domini Czema brevi respondebo. Nova nulla hic habemus, quam quod Sacra Regia Maiestas rectissime valet, Orator Sue Maiestatis rebus bene confectis ex Turcia redit, Comicia cum regnolis suis Regia Maiestas celebrat, brevi finienda secundum omnem voluntatem Sue Regie Maiestatis. Preterea venerunt heri littere ex Hungaria a Domino Nicolao Nypscz, Nuncio regio, qui inter cetera scribit, scribunt tamen et alii, nominatim autem Dominus Baro Burgi,¹⁾ Nuncius Apostolicus, quod veniunt ad hanc Maiestatem primum, deinde ad Ducem Moskorum²⁾ insignes Oratores Sacratissime Cesaree Maiestatis.³⁾ Leonardus de Nogarolis, Serenissimi Domini Archiducis Austrie,⁴⁾ Sigismundus Eberstayn, item et Legatus Summi Pontificis,⁵⁾ Reverendissimus Dominus Episcopus Scariensis.⁶⁾ Ac insuper a Serenissimo Domino Rege Lodovico Reverendus Dominus Ioannes Statilius, Prepositus Veteris Bude, post paucos dies apud Regiam Maiestatem constituturi. Allate sunt heri littere ex Augusta, nunciantes obitum Domini Iacobi Fogger. Allata sunt etiam michi alia multa a nepotibus suis, quorum omnium exempla Illustrissime Dominacioni Vestre mitto. Alia nulla sunt. Mitto Illustrissime Dominacioni Vestre ab Illustrissimo Domino Principe Karolo Duce Minsterbergensi litteras... Datum Pyotrkovie, decima nona Ianuarii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
totus quidquid est

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

3) *Carolus V.*

1) *Ioannes Antonius Puglione, baro del Bur-*
gio, leg. ap. in Polonia et in Hungaria.

4) *Ferdinandus.*

2) *Basilius III Ioannides.*

5) *Clemens VII*

6) *Ioannes Franciscus Citus de Potentia, ep.*
Scarensis, legatus ap. in Moscovia.

Annexum I:

Illustris Domine etc.

Mittimur in presenti Oratores Cesaree Maiestatis ac Serenissimi Principis Archiducis Austrie etc. ad Serenissimum Magnum Moschorum Ducem, habemusque in comitiva nostra ipsos Moschorum Ducis Oratores ex Hispania redeuntes, quos nobis eadem Cesarea Maiestas et Serenissimus Princeps in regiones suas reducendos commiserunt.

Quam ob rem, cum brevi nos in Polonia futuros esse arbitremur, voluimus ea de re prius Illustrem Dominacionem Vestram cerciorem facere simulque rogare, ut nobis quantocius describere velit, ubi Serenissimum Polonie Regem convenire poterimus, cuius Maiestas nobis necessario est adeunda, ut que a Dominis nostris apud eandem in mandatis habemus, tractare possimus, nos eidem Illustri Dominacioni Vestre plurimum commendantes. Ex Vienna Austriae, XXII Decembbris MDXXV.

Eiusdem Illustris Dominacionis Vestre servitores
Leonardus Comes de Nogarol, Cesaree Maiestatis Orator.
Sigismundus de Herborstan, Serenissimi Archiducis Orator.

In dorso: Illustri ac Excellentissimo Domino, Domino Cristophoro de Schidlowecz, Serenissimi Regis Poloniae Consiliario, Palatino et Generali Capitaneo Cracoviensi ac Regni Cancellario Supremo etc.

Petricoviae, 27.I.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro benevolentia erga se gratias agit; de donatione oppidorum Braunsberg et Tolkmit a rege [Sigismundo I] impetranda auci satisfacere se non posse nuntiat.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Quae mihi Illustrissima Dominatio Vestra primum per Dominum Czema, postea litteris manu sua et amanuensis sui scriptas^{z)} significare dignata est, abunde intellexi. Agoque et habeo Illustrissimae Dominationi Vestrae gracias, quas possum maiores, quod pro eius summa virtute et incredibili bonitate tam benignissimis et amicissimis litteris et significacionibus afficere dignetur.

Quod vero Illustrissima Dominatio Vestra me loco fratris habere vult, id ego maximi quidem praecii mihi duco, sed vereor, ne vel stulticiae vel arrogantiae accusarer, cum assererem me esse in numero fratum eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae. Sit tamen ita, sicut iubet Illustrissima Dominatio Vestra. Simque Dominationi Vestrae Illustrissimae et servitor et frater iunior. Sed de hiis et aliis Illustrissimae Dominationi Vestrae Dominus Czema¹⁾ affatim dicere debet.

Quod vero Illustrissima Dominatio Vestra operam meam exigit, orarem Maiestatem Regiam vice et nomine Illustrissimae Dominationis Vestrae, ut ex liberalitate sua regia opida Braunsberg et Tholkmith Illustrissimae Dominationi Vestrae donaret, mi Illustrissime Princeps, scio Sacram Maiestatem Regiam multo maiora, quam haec sunt, Dominationi Vestrae Illustrissimae favere, uti nepoti suo charissimo. Verum magnis suffragiis totus Conventus agit pro Ecclesia Varmensi, non potestque Maiestas Sua Regia aliud de opidis illis decernere, quam quod iustum est et bonitas christiani Regis requirit. Dabit igitur veniam mihi Illustrissima Dominatio Vestra, quod in ea re votis ac desyderiis eius, imo et meis, satisfacere non potui.

De novis rebus, et quae hic acta sunt, Dominus Czema Illustrissimae Dominationi Vestrae dicet... Datum Pyotrkoviae, 27 Ianuarii MDXXVI.^{to} Commendo Illustrissimae Dominationi Vestrae hunc Dominum Czema. Est bonus servitor Illustrissimae Dominationis Vestrae et dignus gratia eius.

^{a)} Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

1) *Achatius.*

N. 22.

Rzwień, 11.II.1526.

*Ioannes (Janussius) dux Masoviae
Alberto in Prussia duci
commendat subditos suos, nobiles Gregorium et Petrum de Skroda, qui
ius se habere ad partem bonorum Wierzbowo in terris Prussiae
asserunt.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

N. 23.

Marienburgi, 9.III.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de rebus Hungariae et de negotio Fuggerorum; de causa ducis Pomeraniae [Georgii] et Ioachimi electoris; de duce Carolo [Munsterbergensi]; de prospectato adventu ducis [Alberti] ad regem [Sigismundum I].
(Cum schedula adiuncta)*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Cognovi ex litteris Illustrissimae Dominationis Vestrae, quod meae a Petrkovia datae ad eam pervenerunt, in quibus eam de rebus novis, Regnorum scilicet Hungariae et Poloniae, feceram cerciorem. Agitque ob hoc et habet Illustrissima Dominatio Vestra mihi gratiam. Illustrissime Princeps et Domine mi Colendissime, quo magis gratae sunt litterae meae Illustrissimae Dominationi Vestrae, hoc libentius ad eam scribo. Scripsi igitur Petrkoviae agens nonnulla, sed plura medio Domini Czeme, pro mea erga Illustrissimam Dominationem Vestram singulari devocione, significaveram. Cui nedum scriptio, sed etiam modis omnibus pro virili mea placere cupio.

Negocio Foggerorum semper quidem favi insigniter, et usque in praesens faveo cupioque illud quam optime tam Sacrae Coronae Hungariae, quam ipsorum Foggerorum componi. Habui ab eis nuper litteras, sed nihil certi mihi scribunt, quarum exemplum cum hiis Illustrissimae Dominationi Vestrae mitto, si forte ad eam nondum ea nova pervenerunt, quae illi mihi scripserunt. Sed quod eorum res Hungaricas attinet, sum in bona spe, quod fiet cum eis composicio et concordia non eis aspernanda.

Quod Illustrissimum Dominum Ducem Pomeraniae attinet, qui debet a Sacra Maiestate Regia auxilium contra Illustrissimum Dominum Electorem Ioachimum etc. petere, locutus sum de hac re diligenter cum Maiestate Regia Domini mei. Sua Maiestas dignata est respondere, si (inquit) Dominus Dux Pomeraniae in hoc negocio ad nos miserit, non

dabimus illi ullum responsum, nisi prius habita mutua intelligēcia cum Illustrissimo Domino Duce Prussiae etc.

Quod autem attinet litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae ad Illustrissimum Dominum Ducem Karolum mittendas, audivi ante paucos dies Suam Illustritatem aduc in Hungaria fuisse, sed brevi ad Bohemiam reddituram. Cum igitur intellexero, ubi sit, et habuero cui tuto litteras comittere possum, libentissime mittam illas in manus Illustrissimae Dominationis Suae.

De adventu Illustrissimae Dominationis Vestrae ad Regiam Maiestatem intelliget mentem regiam ex Reverendissimo Domino Zambiensi.^{a)} Cui ago gratias quas possum maiores, quod me nomine Illustrissimae Dominationis Vestrae et exceptit humanissime et tractavit liberalissime... Datum in castro Mariemburgensi, nona Marcii, anno Domini 1526.^{b)}

^{a)} Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre servitor
et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Georgius Polenz.*

Schedula adiuncta:

Michael Pictor Gedanensis narravit mihi, quod Illustrissima Dominationis Vestra habet unum pictorem vel pocius sculptorem, qui optime novit in tabellis ereis, in lapidibus et in ligno facies hominum extrahere et expingere. Rogo plurimum Illustrissimam Dominationem Vestram, dignetur hoc ad me eum ipsum pictorem cum suis instrumentis mittere, et ego volo illum bene servare et favore usquedum Illustrissima Dominationis Vestra apud nos constitui dignabitur, et tum illum reddam Vestrae Illustrissimae Dominationi. Faciet mihi Illustrissima Dominationis Vestra rem gratissimam, si eum hominem mihi cito admiserit, nam eo mihi vehementer opus est.

Idem Christophorus Palatinus et Cancellarius etc.

N. 24.

Marienburgi, 18.III.1526.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

*pro hospitalitate gratias agit; Nicolao Nibschatz absente, suam operam
pollicetur in negotiis ducis apud regem [Sigismundum I] curandis.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Nuper proficiscenti michi huc cum Regia Maiestate fuit michi iter per dicionem Illustrissime Dominationis Vestre, per oppidum videlicet, quod Insulam Marie dicunt. Illuc ego (ut fit) ex Graudnicz unum ex servulis meis hospicii parandi gratia premiseram, ipse paulo post subsecutus profunda nocte eo perveni. Ille ipse nebulo famulus meus,

priusquam ego advenissem, nescio quo casu, ad castellum se receperat, fortassis ebrius, ubi percontatus, cuius esset, meum (ita ut erat) se esse respondit. Et ilico omnium rerum copia, equis atque famulis meis ad victum pertinencia,²⁾ nomine Illustrissime Dominationis Vestre michi prestita est. Lautissime et splendidissime habitus est tunc in eodem oppido universus pene regius comitatus, egoque non parum inde laudis et favoris Illustrissime Dominationi Vestre apud nostrates accessisse michi gratulabar. Sed eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre liberalitatem et summam humanitatem tacitus admirabar, quod mei scilicet postreme sortis homunculi rationem habere non est dedita. Pro quo habeo ei gratias, relatus, ubi se occasio offeret.

Res, que hic geri debent, sunt adeo perspicue, ut nichil dubitem eas iam pridem ad noticiam Illustrissime Dominationis Vestre devenisse. Instat certamen non mediocre Christo cum Belial. Quamquam autem nemini dubium est Christum victorem futurum, tamen illud mirum est, quod utraque pars Christi partes se sequi et tueri iactitat. Quod tametsi difficillimum diiudicatu est in tanta rerum caligine, utra probabilior sit, michi tamen persuasum et constitutum est Regie Maiestatis, Domini mei clementissimi, auctoritatem et voluntatem sequi. Nichil ad rem fortasse et minime referebat me tanta attingere, sufficere debebat gratias agere. Quare si garrulitate et importunitate peccavi, feci ut homo. Nec dubito, quin pro summa et incomparabili prudentia sua et benignitate boni consulet, si quid michi imprudenti excidit, quod scribere non erat opere pretium.

Amicus meus Nipczicz, idemque Illustrissime Dominationis Vestre studiosissimus, priusquam Legatus ad Hungariam proficisceretur, manda- verat michi, ut se absente negotiorum Illustrissime Dominationis Vestre, si que in Curia Regia occurrent, minister essem. Sed interim nulla occasio id efficiendi michi se obtulerat, cum alioqui ambo pariter id ardentissime cupiamus Illustrissime Dominationi Vestre aliqua in parte inservire. Idem Nipczicz nondum illinc redit, procul dubio acceleraturus, cum primum dimittetur, vel ea potissimum de causa, quo conspectui propior fieret Illustrissime Dominationis Vestre... Ex Marienburgk, XVIII die Martii, hora octava ante meridiem, 1526.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
minimus servorum
Ioannes Szamborczski subscrpsit.

2) sic in ms.

N. 25.

Marienburgi, 19.III.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de causa Narcissi piscatoris, quem dux commendaverat.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Marienburgi, 19.III.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de matrimonio ducis cum [Dorothea] filia regis Daniae [Friderici I]; de militibus Livoniensibus per Samogitiam Livoniam potentibus; de obitu ducis Masoviae [Janussii]; de morte uxor regis Daniae [Annae Brandenburgensis].

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illusterrissime Princeps etc.

Scribit mihi Illusterrissima Dominacio Vestra, revocans in memoriam consiliorum suorum communicacionem de deducenda uxore,^{a)} honesto et alto aliquo loco nata. Memoria teneo, Illusterrissime Princeps, quod superiori anno in hoc negocio Cracoviae Illusterrissima Dominacio Vestra mecum quippiam locuta est. Sed si illud, inquiens, non posset succedere, habere se aliam viam ducende uxoris alte et insignis prosapia Regum. De Serenissimo autem Rege Dannorum nullam prorsus Illusterrissima Dominacio Vestra tum fecerat mencionem. Et quamquam illud Sacre Regie Maiestati exposueram, hoc non potui ita plane enarrare, cum ipse nihil certi sciebam. Placuit tamen Sue Maiestati, ut Illusterrissima Dominacio Vestra coniugem alti status sibi sumeret. Iam verc cercior factus litteris Illusterrissime Dominacionis Vestre de filia dicti Serenissimi Regis Dannorum, e vestigio Sacre Maiestati^{b)} Regiae id ipsum declaravi cum ea prefacione, que Illusterrissime Dominacioni Vestre non parum gloriae et lucis pre se ferebat. Sacra vero Maiestas Regia id libenter vidisset, ut quamcunque sponsam Illusterrissima Dominacio Vestra sibi matrimonio locari delegisset, fecisset id cum scientia et consilio Maiestatis Sueae.

Cum tamen intellexit Illusterrissimam Dominacionem Vestram filiam Electi Regis Dannorum in coniugem^{c)} sumpsisse, id non vulgariter commendavit.^{d)} Multa enim Illusterrissime Dominacioni Vestre commoda eo connubio accedent, sed hec non postrema erunt, quod Illusterrissima Dominacio Vestra Regem illum sibi vicinum, ut sunt tempora difficillima, ad nutum habitura est, et quod idem sit ipsi Maiestati Regiae arctissima affinitate coniunctus. Sed ut et illud accipiat Illusterrissima Dominacio Vestra, quod Sacra Regia Maiestas Oratori Illusterrissime Dominacionis Vestre, Clingenbeck,¹⁾ libenti animo secretam audienciam prestisset, sed eam non petiit,^{e)} quamquam eciam tum nemo alias in cubiculo suo preter interpretem, Dominum Severinum Boner, Prefectum salinarum Cracoviensium, [erat], cum ille legacionem diceret. Gratissimumque fuisse Maiestati Regiae illud cognoscere ex Illusterrissima Dominacione Vestra. Multi, inquit Maiestas Regia, querebant a nobis de connubio Illustris Domini Principis in Prussia, nos vero aliquando siluimus, aliquando dissimulavimus, alium sermonem ingerentes. Suppudebat enim, inquit, de tanta re ignorare;^{f)} sed, ut dixi, contentissima est Maiestas Sua Regia de hoc connubio Illusterrissime Dominacionis Vestre.^{g)} Precor igitur et modis omnibus faveo, ut connubium hoc foelicissimum sit Illusterrissime Dominacioni Vestre perpetuo ac faustum et sempiterno honori ac decori, utque Illusterrissima Dominacio Vestra cum sua clarissima et amantissima sponsa, prima Principe in Prussia, annos Nestoreos superet videatque filios filiorum suorum, pacem super suis Principatibus.

Quod autem scribit Illustrissima Dominacio Vestra de militibus Livoniensibus, qualiter sensim per Samogitiam Livoniam petunt, rem ex litteris regiis Illustrissima Dominacio Vestra de hac re plene accipiet. Quod vero adventum huc eius attinet, Maiestas Regia dignabitur tempori Illustrissimam Dominationem Vestram litteris cerciorem facere, ubi et quando ad illius Maiestatem venire debeat. Nactus sum idoneum tabellarium, nempe servitorem Magnifici Domini Terczka, per quem litteras ad Illustrissimum Dominum Duce Carolum e vestigio mittam.^{f)}

Nova nulla habemus alia, quam quod Maiestas Regia rectissime valet et sepe Illustrissime Dominationis Vestre honorificentissime amanter recordatur. De obitu Illustris Domini Duci Masoviae Illustrissimam Dominationem Vestram credo iam non ignorare.^{g)} Mortuus est ille Princeps clarissimus, nendum suorum, sed etiam Maiestatis Regiae et omnium Ordinum Regni desiderio post se ingenti relicto. Pertulit etiam ad nos fama, quod uxor Regis Dacie epulis mortem obiisset... Datum in arce Mariemburgensi, die decima nona mensis Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

^{h)} Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis
Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.ⁱ⁾

- | | | |
|--|---|--------------------------|
| a) hic in margine alia manu: De coniuge | f) hic in margine alia manu: litteras Duci
b) in ms. abbreviatio incompleta: Sacre ti
c)-d) verba linea subducta. | Caroli mittit |
| e) hic in margine alia manu: Clingenbeck non
pecuit secretam audientiam | g) hic in margine alia manu: Duci Mazoviae
obitum nuntiat | h)-i) manu propria. |
| | | 1) Klingenbeck Georgius. |

N. 27.

Marienburgi, 22.III.1526.

Iaroslau [Hieronymus] Laski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
conqueritur se a duce litteris negligi; novitates ex Italia mittit et de
imperatoris [Caroli V] non contento animo ob concordiam inter
regem Poloniae [Sigismundum I] et ducem initam.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Lubens et ex animo semper audiebam Illustrissimam Dominationem Vestram optime valere ac habere, ceu is, qui nervose omne bonum Vestre Illustrissime Dominationi imprecor et efflictim aveo, sed angit me summopere Vestre Illustrissime Dominationis oblivio, quod me, humilem et addictum servitorem suum, scriptis suis obmittere dignatur,^{a)} desperaremque plus, nisi scirem Vestram Illustrissimam Dominationem constantis semper animi esse et solere eos perpetua gratia sua prosequi, qui illam demereri insudant. Ea itaque fretus humanitate ac innata virtute, nihil dubito Illustrissimam Dominationem Vestram et mei memorem et mihi gratiosissimum patronum esse.

Ceterum novi^{b)} quid apud hanc curiam sit, percipiat. Pervenere littere ex Italia Duce Mediolani¹⁾ dedisse se et arces Mediolani et Cre-

mone in Venetorum manus, ac ligam factam esse inter Venetos, Summum Pontificem,²⁾ Duce hunc Mediolani et omnes Italie Duces, Principes et Respublicas.³⁾ Qui constituerunt non amplius exothicos, quos illi foristeros vocant, Italianam permittere dilacerare,⁴⁾ sed omnes hoc defendere et tanquam ad incendium cum mulieribus ac pueris currere. Veneti habent LXXX galreas Turcarum Rodii expectantes, qui eis ab Imperatore Machomethe in suppetias conscripti sunt. Galliarum Rex⁵⁾ liber iam cum Cesare nostro male cogitant de liga ista facta.

^{c)} Apud Imperialem Maiestatem male sonat^{d)} concordia^{e)} ista facta inter Regem nostrum et Vestram Illustrissimam Dominationem, scribitque Secretarius Regis, qui illic est, non passuram plane id Germaniam etc. Vestra Illustrissima Dominatio optime facit, quod significat Regie Maiestati, que percipit vel de tumultibus contra se, vel etiam de congregazione lancznethorum in Premensi civitate. Dicunt eos Livoniam cum Duce Branswecensi^{f)} ituros, cui modernus Magister⁵⁾ et se et arces dedere vult, antequam moriatur, timens de Vestra Illustrissima Dominatione. Ita hic intellexi etc.

Expectamus in diem adventum Vestre Illustrissime Dominationis, qui utinam celer sit, cupio... Marienburgi, feria quinta post Iudica, 1526.

Vestre Illustrissime Dominationis

humillimus servitor

Iaroslau de Lasko etc. etc.

a) *hic in margine alia manu:* Lasko negligitur literis

b) *hic in margine alia manu:* Novitates sribit

c-d) *verba linea subducta.*

e) *hic in margine alia manu:* de concordia
Poloni et Prutheni

f) *hic in margine alia manu:* Dux Bransvicensis sufficietur Magistro

1) *Franciscus II Maria Sforza.*

2) *Clemens VII.*

3) *Franciscus I.*

4) *Ericus.*

5) *Valterus de Plettenberg.*

N. 28.

Marienburgi, 25.III.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

*de prospectato matrimonio Gulielmi marchionis Brandenburgensis, fratris
ducis Alberti, cum Anna duce Masoviae; de causa inter Ioachimum
marchionem Brandenburgensem et duces Stolpenses coram rege agen-
da deque duce [Alberto] pro eodem tempore invitando.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Accepi literas Illustrissimae Dominacionis Vestrae, decima nona Marcii ex Monte Regio datas, in quibus scribere mihi dignetur^{z)} se intellexisse obitum Ducis Mazoviae.¹⁾ Scripseram ego hoc ipsum proximis literis Illustrissimae Dominacioni Vestrae, sed forte nondum ad manus eius pervenerunt.

Significavit item mihi Illustrissima Dominacio Vestra in hoc, quod attinet matrimonium Illustrissimi Domini Gwilhelmi Marchionis Brandenburgensis, fratris sui,⁴⁾ et Domine Annae Ducis Mazoviae, id ipsum et Sacrae Maiestati Regiae Illustrissima Dominacio Vestra scripsit.

Maiestas Regia per se legit literas eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae, ad quas Reverendissimus Dominus Episcopus Cracoviensis,²⁾ Regni Vicecancellarius, rescribet. Verum ut Illustrissime Dominacioni Vestrae rem aperte scribam, Sacra Maiestas Regia, existens distenta multis negotiis domesticis,^{b)} nondum quidquam de rebus Ducatus Mazoviae constituit, ac ne cogitavit quidem.^{c)} Sunt hic Legati a Domina Duce Anna, sed nichil aliud egerunt, quam quod obitum Principis sui nunciaverunt et Ducem Annam Ducatumque Mazoviae in gratiam et protectionem regiam commiserunt ac dederunt. Sed Maiestas Regia nichil prorsus hic de Ducatu illo et Principe superstite declarabit, dum paucos Dominos Consiliarios ad latus regium habeat. Consuevit enim Maiestas Sua in rebus magni momenti, inconsulis suis Consiliariis, nichil agere.

Rem, que est inter Illustrissimum Dominum Ioachimum Marchionem Brandenburgensem et Illustrissimos Dominos Duces Stolpenses, ego in bona memoria habeo. Significaverunt illi Duces se brevi futuros apud Regiam Maestatem. Pro eodem tempore etiam Illustrissima Dominacio Vestra invitabitur, et tum de rebus illis, de quibus mihi proxima estate Illustrissima Dominacio Vestra significavit, consuletur et statuetur... Datum in arce Marienburgensi, vigesima quinta Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

d) Eiusdem Veste Illustrissime Dominacionis
servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitanus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius manu sua.^{c)}

a) *hic in margine alia manu:* De negocio Mar-
chonis Gvilhelmi

z) *sic in ms.*

1) *Ianussius.*

b-c) *verba linea subducta.*

2) *Petrus Tomicki.*

d-e) *manu propria.*

N. 29.

Marienburgi, 25.III.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de ingenti damno a Turcis dominis Hungarisi illato; de expectato in Hungaria conventu principum; de litteris ab archiepiscopo Strigoniensi acceptis; item de litteris ad eundem archiepiscopum et ad regem Hungariae [Ludovicum] datis, ducem commendantibus; de codicibus ad proventus olim Ordinis pertinentibus a duce regi [Sigmundo I] adferendis; de simulacro sultani.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Post^{a)} scriptas et obsignatas litteras, rediit cubicularius regius ex Buda attulitque plures litteras ab amicis. Ex quibus intelligo Thurcos ingens damnum dominis Hungarisi intulisse, omnes Hungaros et Bohemos cum magna alacritate conventum Principum prestolari. Et quid mihi Reverendissimus dominus Strigoniensis¹⁾ scribit, intelliget Vesta Illustrissima dominacio ex hoc exemplo litterarum Paternitatis eius.

Dederam ego litteras regias et meas ad illam Maiestatem ac ad ipsum Reverendissimum Strigoniensem, comendaticias pro parte Illustrissimae Dominacionis Vestrae, sed forsan nichil egit Vestra Illustrissima Dominacio. Causa Foggerorum nondum est terminata, quod Vestra Illustrissima Dominacio ex litteris Nypczicz accipere dignabitur.

Mi Illustrissime Princeps, si aduc pre manibus habet Illustrissima Dominacio Vestra antiquos codices, in quos proventus harum terrarum tempore Ordinis referebantur,^{b)} et litera sive privilegia subditorum, libenter viderem, ut eos Illustrissima Dominacio Vestra secum huc aferret, quando ad Maiestatem Regiam venerit, et donaret illos Maiestati Suae, presertim si esset aliquis fructus ex eis, dum eos haberet Maiestas Regia, et Vestrae Illustrissimae Dominacioni nullum damnum, si eis carererat.

Allatum est etiam mihi ex Hungaria symulachrum Imperatoris²⁾ Turcorum,^{c)} ad vivam faciem pictum. Curabo, ut sculptor Illustrissimae Dominacionis Vestrae illud excidat, et mittam brevi, quidquid est, Vestrae Illustrissimae Dominacioni... Datum ex arce Marienburgensi,²⁾ vigesima quinta Marcii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Cristophorus de Schydlovyez, Palatinus et Capitanus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius.

- | | |
|---|-------------------------------|
| a) <i>hic in margine alia manu:</i> Novitates | <i>z) sic in ms.</i> |
| b) <i>hic in margine alia manu:</i> Bücher undt
Regester Marienburg betreffendt. | 1) <i>Vladislaus Szalkay.</i> |
| c) <i>hic in margine alia manu:</i> De symulachro
Imperatoris Turcorum | 2) <i>Solimanus II.</i> |

N. 30.

Marienburgi, 28.III.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
commendat causam Georgii Aulack (in ms. Aulog), quam is coram duce
est habiturus.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 31.

Marienburgi, 1.IV.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius
Erhardo Queiss, episcopo Pomesaniensi,
litteras ducis Alberti ad manus regias pervenisse nuntiat; de expectato
eiudem ducis ad regem [Sigismundum I] adventu.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Reverendissime Domine etc.

Certiorem facio Dominationem Vestram Reverendissimam, quod
littere Illustrissimi Domini Principis vestri, ymo et mei, ex Monte

Regio XVII^{a)} Marcii datae, salvae et incolumes ad manus Sacrae Maiestatis Regiae pervenerunt. Accepi et ego illas, quae mihi serviebant.

Negocium illud, de quo Illustrissimus Dominus Princeps scripsit, est grave et arduum, de quo non litteris solum, sed etiam coram agendum est. Ut cunque est, Illustrissimus Dominus Princeps^{b)} brevi erit apud Sacram Maiestatem Regiam, forsan eius rei, de qua scribere dignatus est, coram praesensque mentionem faciet. Ego nil aliud ago ad praesens, quam ut doceam Dominationem Vestram Reverendissimam litteras illas ad manus regias pervenisse.

Scripsit etiam mihi inter cetera ipse Illustrissimus Princeps, adessem Dominationi Vestrae Reverendissimae, cum apud Sacram Maiestatem Regiam constituetur. Ego, licet cras mane praecedo Maiestatem Regiam Gedanum, cum aliis Dominis mihi adjunctis, locutus sum tamen in ea re cum ipsa Maiestate Regia et suplicavi, dignaretur Vestram Dominationem benigne excipere, habere et expedire... Datum in arce Marienburgensi, die dominico Sacri Pasche, anno 1526.

c) Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{d)}

a) *correctum ex: XXVII*

b) *supra lineam verba manu Christophori Szydłowiecki scripta: non utcunque est, set postulet, necne*

c).d) *manu propria.*

N. 32.

Gedani, 3.IV.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

queritur, quod dux ad alios scribit, se autem litteris suis non est dignatus.

Sigill. Autoogr.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Certior factus sum, quod Illustrissima Dominatio Vestra brevi apud Sacram Maiestatem Regiam, avunculum suum charissimum et meum Dominum gratiosissimum, constitui debet. De quo plurimum gaudeo et gratulor Illustrissime Dominationi Vestre. Det Dominus Deus, ut hoc salva et incolumis veniat et res ex animi sententia transigat. Preterea utique satis mirari non possum, quod Vestra Illustrissima Dominatio proximis diebus et Domino Czema et Domino Zemboczki scribere dignata est, ad me autem nullas dedit. Non invenio causam aliquam silentii, quam quod illis litteris non responderim, quas Sacrae Maiestati Regie XXII Marcii, ni fallor, scripserat in negocio Evangelico etc., et ob hoc ego forsan parum fidus Illustrissime Dominationi Vestre esse videor. Sed revera rescripseram ego ad illas, nisi quod Dominus Czema abierat non acceptis litteris, me etiam insalutato, et ob hanc causam non recepit

Illustrissima Dominatio Vestra responsum. Et non dubitabam etiam Illustrissimam Dominationem Vestram brevi apud Maiestatem Regiam constituturam. De quibus omnibus coram laciis. Expecto adventum Illustrissime Dominationis Vestre cum magna alacritate. Datum Gedani, 3 Aprilis 1526.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre servitor et frater

a) Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a) b) *manu propria.*

N. 33.

Marienburgi, 15.IV.1526.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

*de negotio matrimoniali Gulielmi marchionis Brandenburgensis, ducis
Alberti fratris; de tempore et loco adventus ducis ad regem [Sigis-
mundum I] nondum stabilito.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Excusationem, qua se Illustrissima Dominatio Vestra humanissime simul et benignissime negligentiae nomine apud me excusare litteris suis dignata est, et admisi libens et suscepit. Quae tametsi necessaria minime erat, videbatur tamen esse et ingenui pudoris et excellentis mitisque naturae indicium, ob eamque rem in maiorem laudem et gloriam cessit Illustrissime Dominationi Vestre.

Quod autem me sensionis meae admonet, qua, cum Cracoviae esset, ei officia, consilia et servitia mea obtulerim, scire dignetur me meae sensionis firmam et inconcussam rationem habere, nec ulla in parte defuisse unquam rebus Illustrissimae Dominationis Vestre pro virili mea, nec defuturum.

Quod ad connubium Illustrissimi Domini Wilhelmi Marchionis Brandenburgensis attinet, quamquam negocium istud non modo Regiam Maiestatem, Dominum meum clementissimum, et totum Senatum, verum etiam universum Regnum Poloniae concernat, tamen quantumcumque in me facultatis, auctoritatis, gratiae, curae, sollicitudinis fuerit, id totum pro decoro, amplitudine, ornamento et dignitate cum Illustrissimae Dominationis Vestrae, tum fratris eius ac tocios Domus Brandenburgensis me expensorum offero, et ut perficerem, conaturum.

Quod rogat, ut quo tempore et quo locorum Regia Maiestas vocatura est Illustrissimam Dominationem Vestram ei significem, sciat per hosce aliquot dies adversa valetudine impeditum me in Senatum, atque ita et in conspectum Maiestatis Suae, non venisse. Ideoque de ea re michi non plane constare. Quidquid tamen Maiestas Sua super ea re statuerit, id Vestrae Illustrissime Dominationi suis litteris perscribet... Ex arce

Marienburgensi, dominica Misericordia Domini, anno Ihesu Christi
MDXXVI.

^{a)} Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis servitor
Petrus Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius
subscripsit.^{b)}

^{a) b)} manu propria.

N. 34.

Gedani, 23.IV.1526.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

*novitates varias mittit, inter alias de rebus mercatorum Gedanensium
eorumque collegiis, de epistola quadam in causa Evangelii a duce ad
regem [Sigismundum I] missa, de incredulitate sua circa liberationem
regis Galliae [Francisci I]. etc.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Summam et admirabilem humanitatem et clementiam Illustrissime Dominationis Vestre, tum favorem eius tam insignem, quo me immeritum prosequi dignatur, aliqua ex parte demereri non est mearum virium, nam preterquam quod^{a)} semel atque iterum clementissimis atque omni humanitate plenissimis litteris suis^{b)} me dignata est, etiam quoties ad suos scribit, mei mentionem honorificam facere solet. Quis autem ego sum aut que est in me facultas, ut tam insigni favori digna merita refferam? Cogor igitur in Vergilianum illud prorumpere: Dii (si qua est celo pietas, qui talia curat) premia digna ferant etc.

In priorum litterarum suarum calce adscripserat Illustrissima Dominationis Vestra, ut omnia de rebus novis, si quarum essem conscientius, ei significarem. Quod ego tunc facere pretermisi (Deus testis) non negligentia aut scribendi fastidio, sed quod tum nichil plane sciebam scriptu dignum, et si quid eiusmodi esset, Reverendissimus Dominus Episcopus Pomesaniensis,¹⁾ hic presens, olfacere potuit et Illustrissime Dominationi Vestre refferre. Nunc quid rerum hic Gdani agatur, nondum a quoquam plene perscribi potest. Nam quorsum hec tragedia evadet, conici vix potest. Inchoata quidem sunt aliqua, sed nichil adhuc perfectum, preterquam quod concionatoribus, quos Lutheranos vocant, altero die post Regie Maiestatis ingressum, nomine eiusdem Maiestatis, prohibitum est, ne deinceps concionarentur, neve in aliquo templo res divina recens instituto ritu fieret. Quod quidem in hanc usque diem arcte observatur.

Nudius tertius imperatum erat duobus collegiis, videlicet mercatorum et nauclerorum, ne ad Curiam, quam Regis Artusii vocant, coirent. Coierunt et se per omnia in potestate Regie Maiestatis futuros unanimiter declaraverunt. Alia item nobis collegia gradatim conventura sunt atque etiam voluntates suas in Principem declaratura. Quid exinde consequi beat, ego (qui consiliis non interfio, et interim dum consilia habentur, cum mei similibus lurconibus et aleatoribus in lustris et ganeis

versor) nichil rerum scire possum, nisi si quid a compotatoribus excipitur. Tamen necesse est ea, que nunc in Senatu tractantur, aliquando in vulgus efferri. Quod cum continget, certum aliquem nunctium nactus, e vestigio Illustrissimam Dominationem Vestram litteris faciam certiorem. Nam quod Illustrissima Dominatio Vestra velit, ut ad eam (si opportune et contra suspicionem possem) venirem, dignetur scire nichil michi neque optabilius neque honorificentius accidere posse, quam id facere. Sed hoc tempore non modo id factu difficile esse, sed etiam pene impossibile. Causas enarravi aulico Illustrissime Dominationis Vestre, Domino Wilhelmsdorffer. Tamen omni cura enitar, captabo opportunitates, ut quam ocissime potero id efficere possem.

Epistolam, quam in causa Evangelii ad Serenissimum Dominum nostrum Regem Illustrissima Dominatio Vestra misisse se perscripsit, tametsi allatam esse aliquatenus deprehendi, tamen quia publice lecta non est, qualis fuerit nescio, nec michi satis integrum est, presertim hiis temporibus, magnopere contendere, ut michi eius copia fieret.^{c)} Atque ita, quod Sue Maiestatis de ea iudicium fuerit, Illustrissime Dominationi Vestre perscribere nec scio nec possum. Illud affirmare vel iuratus ausim (quamvis a longe duntaxat omnia contemplor) Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, Illustrissimam Dominationem Vestram eo amore, vel potius pietate,^{d)} prosequi, quo coniunctissimus atque optimus avunculus clarissimum et sibi deditissimum nepotem prosequi debeat, atque ita, ut omnia ab eadem Illustrissima Dominatione Vestra ad se profectum non nisi in optimam partem interpretari. Tamen speculande sunt michi omnes occasionses et momenta, nec quicquam pretermittendum, quo aliquando de eadem re aliquid odorare possim et Illustrissime Dominationi Vestre perscribere efficereque, ut meum officium et (ita enim scribere dignata est Illustrissima Dominatio Vestra) pietatem, quam se tantopere in Domino optare sribit, agnoscat et experiatur Illustrissima Dominatio Vestra, ut Dominus meus clementissimus, non modo in hac re, sed in quacunque alia, etiam si vita et spiritus ponendus esset, modo Deus Immortalis eidem Illustrissime Dominationi Vestre, atque ita et michi, indigno servo eius, vitam prorogare velit.

Scriba Illustrissime Dominationis Vestre, qui posteriores litteras ad me scripsit, optimo procul dubio animo, sed rerum insacia, honorificentissimis titulis me oneravit verius quam honoravit, nam in tergo epistole et Magnificum me et Generosum Dominum, et Regie Maiestatis Polonie Consiliarium inscripsit, cum hec prefatio honoris, videlicet Magnifico, vix Turcorum Imperatori, qui memoria nostra utique magnas res gessit, conveniat. Magnificus enim non nisi ille, qui magna facit, recte vocandus est. Consiliis etiam regiis nec interfui unquam, nec intersum. Sufficeret itaque michi, ut inscriberetur Ioanni Szamboczsky. Sed ego, sive Illustrissima Dominatio Vestra ita scribi imperavit, sive scriba ipse (ut superius scripsi) inscitia rerum lapsus est, equissimo et humillimo animo fero et feram.

Ab externis Regnis vel regionibus pauca, et hec vetusta, ad Regiam Maiestatem perlata sunt, que etiam Illustrissimam Dominationem Vestram non dubito ab aliis scire, puta de federe inter Caesarem²⁾ et Gallorum Regem, fabula toto³⁾ orbi notissima. Item de articulis federis. Sed ego Regem Gallorum non prius liberum esse credam, quam ab aliquo certo homine vel narrari vel scribi intellexero eum in Gallia et in Regno suo esse. Ex Hungaria etiam nichil nisi turbe et confusio rerum omnium et nescio quis metus a Turcis, verus forsitan, nuntiantur. Illud certissi-

mum est Regem Hungarie³⁾ a longo tempore et Nunctiis et litteris summopere cupere (quod et novissimis litteris suis paulo post Idus Martias scriptis significavit), ut Serenissimus Dominus noster cum eo Olmucii congregi velit. Id si aliquando futurum est, incertum. Ex Germania penitus nichil. Vestram Illustrissimam Dominationem, ut Dominum meum clementissimum, diutissime et optime valere cupio eique me cum humillima servitute mea comendo. Ex Gdano, 23 Aprilis ante meridiem horis 11, 1526.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
humillimus et fidelissimus servus
Ioannes Szamboczski.

Nescio quonam meo fato fit, ut ego, omnium mortalium postremus existens et ad nichil utilis, tamen occupacionum pelago obruar, ut michi hec ineptissima ad Illustrissimam Dominationem Vestram perscribere pre occupacionibus vix licebat.

Narravi etiam nonnichil rerum Domino Wilhelmsdorfer. Non dubito ea Illustrissime Dominationi Vestre narraturum. Que qualiacunque sunt, precor, ut omnino velit benignis auribus audire et sumnum meum in se studium et serviendi voluntatem plus quam rem ipsam perpendere.

- a) *verba*: preterquam quod *scripta in margine*. 1) *Erhardus Queiss*.
b) *verbum supra lineam scriptum*. 2) *Carolus V*.
c) *fieret suprascriptum pro expuncto*: fuerit 3) *Ludovicus II*.
d) *sequitur verbum aliquod expunctum*.
z) *sic in ms.*

N. 35.

Gedani, 23.IV.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de absolutione episcopi Pomesaniensis [Erhardi Queiss]; de matrimonio ducis iterum gratulatur; de filio sibi nato nuntiat; alias res referendas ad adventum ducis ad regem [Sigismundum I] reicit; Achacium Czema laudat; de concordia imperatoris [Caroli V] cum rege Galliae [Francisco I] inita significat; simulacrum sultani Turcarum mittit.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Trinas simul accepi litteras Dominacionis Vestre Illustrissime, et eas doctissimas humanissimasque, quibus hiis unis summatim respondeo. Videtur quidem gravate ferre Illustrissima Dominacio Vestra absolucionem Reverendissimi Domini Episcopi Pomezaniensis, in Mariemburgo factam. Que ut me absente contigit, ita certe qualis erat, nondum mihi satis constat. Ego vero immensas ago et habeo Illustrissime Dominacioni Vestre gracias, quod hunc animum suum mihi, suo et servitori et, uti

eciam vult, fratri obsequentissimo, communicare dignata sit. Nec in hoc fallitur, ut de me sibi persuadet. Sum enim is, qui ex animo cupiam illi in omnibus, quecumque mearum virium essent, obsequi et gratificari. Idem eciam polliceri possum de omnibus Consiliariis incliti Regni Poloniae. Nemo profecto est ex illis, ut ego video, qui non illi optimos et felicissimos quosque successus optent et faveant.

Si quid autem responsum est Domino Episcopo Pomezaniensi non ex eius animi sentencia, de hoc, ut dixi, non satis mihi compertum est. Eram enim tum cum aliis Dominis Gedani, cum Dominacio Sua Reverendissima Mariemburgi absolvebatur. Ac ideo de ratione illius responsionis nihil certi respondere scio. Hoc tamen testari possum, quod Sacra Maiestas Regia illud omne, quicquid est ab ea responsum, optimo et sincerissimo animo responderi fecit. Amat enim impense Illustrissimam Dominacionem Vestram, ut decet nepotem suum charissimum, et illi omnia bona ex corde favet et optat. Quod autem ad iuditium Scripturarum attinet, futurum id sit necne, mea non magna referre puto, et mallem de hiis coram presensque cum Illustrissima Dominacione Vestra, quam per litteras. In concordia nihil aliud, credat mihi Dominacio Vestra Illustrissima, nos omnes Consiliarii, tam seculares quam eciam spirituales, spectavimus, quam pacem et utilitatem Reipublicae et cum Illustrissima Dominacione Vestra arctissimam coniunctionem.

De matrimonio Illustrissime Dominacionis Vestre, etsi eidem proximis meis gratulatus sum et significavi illud Maiestati Regiae esse gratissimum ac iucundissimum, cum tamen matrimonium ipsum certo sciā rem esse honestissimam, sanctissimam, pudicissimam, sine ullo offendiculo ac animi sanctissima voluptate voluptuosius, iterum atque iterum et semper posthac Illustrissime Dominacioni Vestre gratulor, quod illam Principem, natam tanti Regis, coniugem sibi charissimam assecuta est. Ex qua ut plures filios, virtute et fortunis ac in rebus bene gerendis dexteritate patri quam simillimos, suscipiat, Dominum Deum, cuius voluntate omnia fiunt, precor. Hoc loco non inconveniens esse existimavi, quod et ipse ex coniugio maximam cepi in Domino Deo voluptatem. Natus est enim mihi filius, matre salva et incolumi, puer eciam recte valens, undecima huius mensis presentis. Hunc ego instituam ita, ut sit servitor Illustrissime Dominacionis Vestre, quemadmodum ego sum.

De negocio et fortunis Illustrissimi Domini fratris sui Vilhelmi, Domini Marchionis, de reddendis privilegiis, de pace inter Illustrissimum Dominum Marchionem Ioachimum et Dominos Duces Stolpenses, de moneta cudenda vel estimanda, de negocio Livoniensi, de publicis legibus et de annonā, et de aliis, id omne refero in foelicem adventum Illustrissime Dominacionis Vestre ad Sacram Maiestatem Regiam. Quem futurum cito spero et opto. De quo quidem Dominacio Vestra Illustrissima ex litteris regiis, per Reverendissimum Dominum Cracoviensem Episcopum¹⁾ nomine regio scriptis, dignabitur intelligere.

Dominum Achacium Czeme commendatissimum et charissimum habeo propter viri singulares virtutes et in rebus bene gerendis quandam eximiam dexteritatem. De novis rebus agit mihi gracias Illustrissima Dominacio Vestra. Ego, que adveniunt, libenter reddo omnium Illustrissimam Dominacionem Vestram participem. Nuper quid mihi Reverendissimus Dominus Strigoniensis²⁾ scripsit, et que habemus de concordia Sacratissime Cesaree Maiestatis cum Serenissimo Rege Gallorum, Vestre Illustrissime Dominacioni cum hiis mitto. Mitto item et simulachrum

Imperatoris Thurcarum.³⁾.. Ex civitate Gedanensi, feria secunda festi
Sancti Adalberti, anno Domini MDXXVI.

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
totus servitor et frater
Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a).b) *manu propria.*
1) *Petrus Tomicki.*

2) *Vladislaus Szalkay.*
3) *Solimanus II.*

N. 36.

Gedani, 24.IV.1526.

*Ioannes Wieczwiński, castellanus Plocensis,
Alberto in Prussia duci
de Turcis in Hungariam incursionem bellicam parantibus; de rege [Sigis-
mundo I], negotiis inceptis ad finem deductis, libentissime ducem
in persona visuro; de moliminibus principum Germanorum (in
adiuncta schedula).*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Iam perscripsi Illustritati Vestre causas, ob quas Illustris Dominus
Dux Pomeranie¹⁾ proximis diebus septimana presenti discedit a Sacra
Maiestate Regia. Ipse tamen bonus Princeps non declinat, ymo libenter
amplectitur bonum finem cum Illustri Domino Marchione Ioachim pocius
per concordiam, quam per iuris strepitum.

Quantum timeat Hungaria potentiam Turcarum indies appropin-
quantem, non facile dici potest. Iam enim Transilvanie Vayvoda²⁾ ex
comuni omnium hominum voto predisposuit omnes viros ad arma idoneos,
spirituales et seculares,^{a)} ut quilibet consurgat sub privacione vite, ut
nemo hominum ex Transilvania deinceps audeat exire quacunque de causa
ex Transilvania²⁾ sub privacione. Iam enim Turcus maiorem partem
Pontis preparaverat per Danubium et magnam partem generum et inge-
niorum bellicorum traiecerat novo genere navigiorum. Illi dignissimi et
prestantissimi Principes, Rex et Regina Hungarie,³⁾ pro die hodierna
convocaverunt omnes nobiles subditos Regni Hungarie, ut possent oc-
currere vel avertere tanta pericula. Que consilia utinam saltem pacifice
peragerent et remedia tantis malis prepararentur. Cum universis Prin-
cipibus cristianis Cesarea Maiestas⁴⁾ tractatus et federa pacis suscepit,
preter Venetos, qui sibi timentes magnam vim Genuensem, terra mari
preparant et assiduas publicas legaciones celebres hinc inde faciunt cum
Imperatore Turcarum.⁵⁾ O Deus bone, quante fiant calamitates!

Hec et alia omnia Illustritas Vestra clarius capiet ex suo optimo,
fido et sincero amico et servitore, Domino Magnifico Palatino Craco-
viensi⁶⁾ etc., benefactore meo prestantissimo, qui ex animo studet in
omnibus Illustritati Vestre morem gerere. Et illos sermones, Reverendo
Domino Pomezaniensi⁷⁾ datos, peto et consulto sinceriter, velet Illustritas

Vestra miti ferre animo, quoniam suo tempore hec et quevis alia amice possunt rectificari vel reformari. Spero in Domino Deo, quia Sacra Maiestas Regia negotia publica incepta bono et celeri fine concludet et tandem mox Illustritatem Vestram libentissime videbit et velut nepotem suum amantissimum honorifice suscipiet. Si in aliquo possum Illustritati Vestre et eius subditis servire, peto liberaliter iubeat. Inveniet et cognoscet me non ore, sed et opere paratum. Cupio quoque, ut, si fieri potest, celerius Illustritas Vestra sacrosanctum matrimonium perpetuo felicissimum suscipiat, antequam tot turbaciones christiane obveniant, et quibus multa terribilia precedunt signa etc... Ex Gedano, die Martis in crastino Sancti Georgii, 15XXVI.

Eiusdem Illustritatis Vestre deditissimus
Io[hannes] de W[ieczwinski] Castellanus Plocensis etc.

Schedula adiunta: Peto, urgeat et sepius similiter Illustritas Vestra fratres et amicos suos in Germania, quod illorum conatus et perquirant et tempestive presciant, qui quotidiana mala molimina fabricant, ut possent pocius, ut ipsi dicunt, pro tota Germania quam pro Domo Brandenburgensi Prussie bonis libenter uti.

- a) *verba:* spirituales et seculares *in margine.* 4) *Carolus V.*
1) *Georgius I.* 5) *Solimanus II.*
2) *Ioannes Zapolya.* 6) *Christophorus Szydłowiecki.*
3) *Ludovicus et Maria.* 7) *Erhardus Queiss.*

N. 37.

Gedani, 24.IV.1526.

*Iaroslau [Hieronymus] Łaski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
de pace inter imperatorem [Carolum V] et regem Galliae [Franciscum I]
et de Comitiis Germaniae generalibus ~~de Comitiis Imperii~~ iam in-
dictis; de dissidio inter ducem Pomeraniae [Georgium I] et Ioachi-
mum marchionem Brandenburgensem componendo.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Accepi paucis ante diebus litteras Vestre Illustrissime Dominationis, gratiae et humanitatis plenas, quibus se genuina bonitate se excusatum iri dignatur ex negligentia scribendi, et quod id non aliqua mei oblivious, sed multarum actionum cumulo et occupatione fecit. Non erat opus hac ipsa apud me excusatione. Scio enim, quam Vestra Illustrissima Dominationis semper arduis et maximis negotiis obnoxia sit et quam servitores suos, quorum et ego unus sum, nunquam solet oblivisci.

Nova hic apud nos nulla sunt. Imperialis Maiestas scripsit Domino Pomeranie Duci litteras indicendo Comicia Germanie Generalia, quod pax inter ipsum et Galliarum Regem firma et perpetua facta sit. Ex

Venetiis his diebus per postam allate sunt littere pacem istam determinatam in toto dissolutam et anichilatam esse, eo quod parlamenta Gallicana in hasce condiciones descendere noluerunt nec consenserunt. Dietta Generalis Imperii est pro festo Sancti Ioannis indicta in Vormatiam. Negotia Regie nostre Maiestatis, ob que hic potissimum descendit, bene diriguntur et brevi erit bonus et utilis finis. Dux Pomeranie¹⁾ adest hic, gratus et Principi et omnibus. Inter suas actiones non est oblitus negotii, quod illi cum Marchione Ioachimo intercedit, et contraxit sibi favores apud Dominos et militares viros, et sunt iam multi, qui illi, si indiguerit, in auxilium ire promiserunt, inter quos et ego etiam.

Profecto, Illustrissime Princeps, bonum esset, ut Vestra Illustrissima Dominatio, iunctis suis cum Regia Maiestate nostra consiliis, sisterent et in melius verterent hoc dissidium, et deceret hoc et Regiam Maiestatem et Vestram Illustrissimam Dominationem. Reliqui non est nihil... Ex Gedano, in crastino Alberti, 1526.

Obsequens sclavus
Iaroslau de Lasko etc. Palatinus S[iradiensis]
et Capitaneus Marburgensis.

¹⁾ Georgius I.

N. 38.

Gedani, 1.V.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de adventu ducis ad regem [Sigismundum I] gratulatur.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Fecerat me certiorem Dominus Ioannes Balinski, Castellanus Gedanensis, amicus meus, de adventu Illustrissime Dominationis Vestre Marienburgum primum, deinde etiam ad Sacram Maiestatem Regiam. Quare gratulatus sum datis litteris de adventu Illustrissimae Dominationis Vestrae. Nunc lectis litteris eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae, id ipsum cognovi. Ac ideo iterum atque iterum gratulor de adventu eius. Dominus Deus bene prosperet iter hoc Illustrissimae Dominationis Vestrae concedatque illi, ut singula ex animi sui sententia conficiat ac rursus ad propria felicissima et incolmis redeat... Datum Gedani, prima die mensis Maii, anno Domini MDXXVI.¹⁰

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 39.

Gedani, 2.V.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

se duci advenienti obviam ire non posse, quod medicus iussit, ut medicina

nam cras capiam et die solis sanguinem mittam se excusat.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 40.

Gedani, 3.V.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

magistrum Erhardum senem commendat.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Hunc Magistrum Erardum diligentissime commendo Illustrissimae Dominationi Vestrae et rogo, dignetur eum benigne audire et exaudire in hiis, pro quibus Illustrissimae Dominationi Vestrae suplicabit, faciatque, ut senex iste, alioqui bene de me meritus, intelligat meam commendationem sibi apud Illustrissimam Dominationem Vestram profuisse. Cui rursus me commendo. Datum Gedani, 3 Maii, 1526. Dominus Achacius Cema egit in negocio istius senis apud Illustrissimam Dominationem Vestram meo nomine, sed placuit eundem iterum per litteras commendare. Gratissimum igitur mihi erit, si Illustrissima Domatio Vestra eum exaudierit et benigne expediverit.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae

^{a)} Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitanus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 41.

Gedani, 29.V.1526.

Petrus Tomiczki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,

Alberto in Prussia duci

de omissione quadam in litteris confirmatoriis assignatae possessionis in Ducatu Prussiae, quod per festinationem factum reparatum iri promittit.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Gedani, 30.V.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de futura profectione regis [Sigismundi I] in Hungariam; de oratore in negotio Livoniensi designato expediendo; de litteris traditae duci possessionis Ducatus Prussiae; de navi quadam duci restituenda; [Stanislaum] Tarlo commendat.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Quod litteras, perpetuos testes coniunctionis et fraternitatis nostrae, ante Illustrissima Dominacio Vestra non confecerit, quam Gedano solverit, nichil prorsus neglectum est.

De profectione regia ad Hungariam non negligam Illustrissimam Dominacionem Vestram cerciorem reddere. Nam licet adeo id prius Maiestas Serenissimi Domini Hungariae et Bohemiae Regis¹⁾ expetiverit, tamen in proximis literis, quas Maiestas Regia Domini nostri (post abitum Illustrissimae Dominacionis Vestrae) recepit, ne minima quidem mentio de hac re facta est.

De equis dono datis non est, cur adeo Illustrissima Dominacio Vestra gratias agat. Sum enim servitor et frater Illustrissimae Dominacionis Vestrae, et quidquid meum est, Illustrissimae Dominacionis Vestre est. Velim, ut illis Illustrissima Dominacio Vestra utatur felicissima.

Dominum de Strazburg, Oratorem in negotio Livoniensi designatum, quam primum curabo expediendum et extrudendum.

Sigillum Benedicti, predictoris verbi, quod ministri Domini Episcopi Cuiaviensis²⁾ apud se retinuerunt, mitto Illustrissimae Dominacioni Vestrae. De aliis rebus nescio eius, aiunt se nichil scire.

Quod attinet literas, traditae Illustrissimae Dominacioni Vestrae possessionis Ducatus Prussiae testes, eas transscribi iussi eo modo, quo Illustrissimae Dominacioni Vestrae placuit, et mitto illas Illustrissimae Dominacioni Vestrae.

Quod autem navem illam attinet, feci quidem diligentiam, ut Illustrissimae Dominacioni Vestrae restitueretur, sed, ut scit Illustrissima Dominacio Vestra, in hac civitate Gedanensi nondum Magistratum esse confirmatum ac neque constitutum, nisi duo de consilio novo illum administrant. Ideo cum Magistratus constituetur, tum demum ego faciam diligenciam, ut voluntati et desiderio Illustrissimae Dominacionis Vestrae satisfiat.

Cupio eandem Illustrissimam Dominacionem Vestram optime ac felicissime valere. Cuius gratiae me diligentissime commendo. Datum in civitate Gedanensi, XXX Maii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

Quod vero Illustrissima Dominacio Vestra rogatura sit Maiestatem Regiam tempore oportuno, ut litere contractus illius maiori sigillo munirentur, placet consilium. Atque ita scribat Maiestati Sacrae Regiae et postulet id ab ea. Ego in hoc negotio cupio Illustrissimae Dominacioni Vestrae inservire.

Dominum Tarlo³⁾ commendo, Sacrae Maiestatis Regiae nomine, Illustrissimae Dominacioni Vestrae et non dubito, quin commendacione eius erit apud Regiam Maiestatem commendacionis...

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestrae
servitor et frater

a) Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Ludovicus II.*

2) *Matthias Drzewicki.*

3) *Stanislaus.*

N. 43.

Gedani, 7.VI.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

oratorem ducis Georgium Klingenberg se exceperisse nuntiat; stylum latinum ducis laudat; certa nova de rege Daniae [Friderico I] Georgium Klingenberg ore tenus relaturum esse significat.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

N. 44.

Gedani, 13.VI.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de capitibus quibusdam tumultuum Gedanensium supplicio puniendis;
de ducis Brunsvicensis contra ducem Albertum moliminiibus; de suo
erga ducem studio serviendique voluntate.

Sigill.

(Cum adiuncta schedula, in qua petit reliquias sanctorum)

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Cum iste servitor et musicus Illustrissimae Dominationis Vestrae ad eam se prefecturum dixisset, nolui permittere, ut sine meis accederet conspectum Illustrissimae Dominationis Vestrae, quibus pro debito officii mei salutem et incolumentatem eius duxi invisendam. Si igitur Illustrissima Dominatio Vestra rectissime valet, iucundissimum mihi esset intelligere.

Ego valeo, ut soleo, et nihil magis cupio et studeo, quam ut sim Illustrissimae Dominationi Vestrae charus.

De novis rebus nihil habeo, nisi quod Sacra Maiestas Regia optima fruitur valetudine. Et non raro Illustrissimae Dominationis Vestrae (utpote quam perinde ac filium amat) amantissime recordatur. Negotiis istis Gedanensis propediem bonum finem imponet. Hodie capita tumultum^{z)} aliquot ad supplicium vocabuntur. Preterea venit huc Ioachimus, novus aulicus regius, nuper ab Illustrissimo Domino Duce Pomeraniae¹⁾ Maiestati Regiae commendatus. Is narrat se intellexisse Ducem Branczavensem²⁾ aliqua adversum Illustrissimam Dominationem Vestram moliri. Sed illam de hiis melius scire puto... Datum Gedani,^{a)} 13 Iunii, anno Domini 1526.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
servitor et frater

b) Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{c)}

a) *correctum ex alio verbo.*

z) *sic in ms.*

b)-c) *manu propria.*

1) *Georgius I.*

2) *Ericus.*

Schedula adiuncta:

Illustrissime et Clementissime Princeps etc.

Intellexi, quod Illustrissima Dominatio Vestra aliquibus dedit dono nonnullas reliquias Sanctorum. Rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, si tamen id fieri potest absque insigni damno et incommodo Illustrissimae Dominationis Vestrae, dignetur mihi mittere nonnihil de huiuscemodi reliquiis, non cupio aurum neque argentum. Scio enim, quod in domo Dominorum Theutonicorum talibus rebus maxime abundarunt.^{a)} Mittet mihi certe Illustrissima Dominatio Vestra munus gratissimum et in domo mea perpetuo pro singulari munimento conservandum.

b) Idem Cristoforus, servitor et frater, manu sua.^{c)}

a) *in ms. abundarunt*

b)-c) *manu propria.*

N. 45.

Gedani, 18.VI.1526.

Iaroslau [Hieronymus] Łaski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
se oratorem ad nuptias ducis a rege nominatum esse nuntiat.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

N. 46.

Gedani, 20.VI.1526.

Ioannes Zambocki (Szamboczki)

Alberto in Prussia duci

ex occasione nuptiarum ducis gratulationes transmittit.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 47.

Gedani, 20.VI.1526.

Andreas a Górką

Alberto in Prussia duci

*excusat se, quod a duce invitatus ob certas tamen occupationes suas
nuptiis ducis interesse non poterit.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 48.

Gedani, 20. VI.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae can-
cellarius,*

Alberto in Prussia duci

de praesidiis ad defendendos fines Prussiae instituendis regem [Sigismundum I] iam per Georgium Klingenbeck respondisse nuntiat; de rege Galliae [Francisco I] eadem ex aliorum litteris se accepisse; de dieta Hungarica et de aliis rebus ex Georgio marchione [Brandenburgensi] et Friderico duce Legnicensi ducem plenius edoctum iri; causam contionatorum detentorum ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinere dicit; mittit exempla litterarum ab oratoribus imperatoris ex Moscova.

Sigill.

*(2 annexa: epistola Leonardi de Nogarolis et Sigismundi de Herber-
stein, necnon schedula adiuncta autographa, in qua denuo petit sibi
reliquias sanctorum)*

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Binas hiis diebus accepi literas Illustrissime Dominacionis Vestre,
quarum priores XIII, altere XIIII presentis mensis ex Kinigsperg date
sunt.

Superioribus Illustrissima Dominacio Vestra agit mihi gracias de
humanitate, quam Domino Georgio Klingenbek exhibui. Iubet hoc offici-
um vultque amor, atque ita quicquid illi favoris et humanitatis a me
impensum est, ob honorem nominis Illustrissimae Dominacionis Vestrae
factum est.

Quod autem Illustrissima Dominacio Vestra petit designari primores
presidiorum, quos tunc appellare vocareque ad arma liceret, cum
necessitas ingrueret, locutus sum in ea re diligentissime cum Sacra

Maiestate Regia. Maiestas Sua respondit se plenam dedisse in ea re medio Domini Georgii Klingebek resolucionem. Nempe appellandos fore Palatinos terrarum Prussiae. Ubi vero vis hostium maior immineret, quam ut illi presidiis domesticis reprimi posse,^{a)} Maiestas Regia hoc perpetuo anno non longe aberit, quoniam distulit profectionem suam ad Magnum Ducatum Lituaniae. Igitur in tali eventu Illustrissima Dominacio Vestra dignabitur in his rebus quam citissime cerciorem facere.

Que mihi Illustrissima Dominacio Vestra de Rege Gallorum scribere dignetur,^{b)} hec eadem etiam ex aliorum literis accepi. De locis Legatorum, qui nuptiis Illustrissime Dominacionis Vestre interesse debent, consului Regiam Maiestatem. Sua Maiestas tribuit istud prudenciae Illustrissimae Dominacionis Vestrae. Verum ex Domino Palatino Siradiensi¹⁾ abundius de hac re accipiet. Is etiam declarabit, quomodo secum agebatur apud Regem Galliae in simili casu.

Apud nos nulla nova ad presens sunt, nisi quod Dieta Hungarica summa tranquillitate transacta est, sed ex Illustribus Dominis, Domino Georgio Marchione et Domino Friderico Duce Legnicensi, de hiis et aliis Illustrissima Dominacio Vestra plenius intelligere dignabitur, quibus per has meas velim obsequia mea esse commendatissima. Si quid Illustrissima Dominacio Vestra acceperit rerum novarum ex eodem Illustrissimo Domino fratre suo, Domino Georgio, quae me scire deceret, rogo, velit me horum participem facere. Nupcias istas praecor esse Illustrissimae Dominacioni Vestrae felicissimas, faustissimas et iucundissimas velimque, ut in hac celebritate et in evum Illustrissimae Dominacioni Vestrae succedant omnia ex animi sententia. Quae certe fore spero, cum Illustrissimae Dominacioni Vestrae adsit etas integerima, nec desit fortuna, oblata virgo etiam integerrima et Illustrissima, pudica, modesta, pia, facie divina, cum dote non vulgari.

Preterea illud me vehementer delectat gaudeoque mihi plurimum, quod equi illi Illustrissimae Dominacioni Vestrae placent. Licet autem nihil dubito me e memoria Illustrissimae Dominacionis Vestrae elapsum non esse, suggerent tamen et illi recordacionem mei in conspectu Illustrissimae Dominacionis Vestrae. Bovem, quem Illustrissima Dominacio Vestra pro barbeo comprehendit, expecto eritque mihi munus gratisimum. Postremo quod in proximis literis commendavit mihi Illustrissima Dominacio Vestra causam concionatorum detentorum, egi negotium hoc diligentissime in medio consilii genus hoc hominum, quoniam pertinere videtur ad iurisdictionem Pontificum. Ideo omnis ordo ille vehementer defendebat iura et autoritatem suam, sed meo iudicio Illustrissima Dominacio Vestra rem iustum et honestam summa cum modestia peciit, neque aduc cessabo clamare, si proficere non potero, non mihi, sed iurisdictioni pontificiae tribuat.

Accepi etiam hisce diebus ab Oratoribus Cesareis literas ex Moscavia.

Harum exemplum mitto Illustrissimae Dominacioni Vestrae, quae scire dignetur iam designatos esse insignes Oratores ad Moscoviam...

Datum Gedani, XX Iunii, anno Domini MDXXVI.

^{a)} Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

^{a)-b)} *manu propria.*

^{b)} *sic in ms.*

¹⁾ Hieronymus Jaroslavus Laski.

Annexum I: Leonardus de Nogarol et Sigismundus de Herberstein Christophoro Szydłowiecki, Moscoviae, 12.V.1526.

Illustris ac Magnifice Domine etc.

Quamvis cum apud Serenissimum et Potentissimum Polonie Regem, que a Cesarea Maiestate et Serenissimo Archiduce Austrie¹⁾ ex eius fratre in mandatis habebamus, tractaremus, Dominatio Vestra Illustris abesset, non dubitamus tamen, quin eadem omnia paulo post apercius intellexerit. Quia igitur, si Dominatio Vestra Illustris affuisset, nobis eius promocione utendum erat, sicuti fecissemus. Actidit, ut quod antea officium Dominatio Vestra pro Principibus nostris propter absenciam suam prestare non potuit, nunc requiramus. Scit enim Dominatio Vestra Cesaream Maiestatem, data sibi adeo opportunitate, inter omnes christianos Principes concordiam querere. Ideoque nos etiam huc misse, ut inter Serenissimum Regem vestrum et Magnum Moschorum Ducem²⁾ pacem perpetuam tractaremus.

Quod cum omni diligencia fecimus, tam circa condiciones, que erant ante ultimum bellum, quam circa mittendos communes Oratores ad aliquem tertium locum, qui de hiis tractarent, sed cum videamus nos non posse ad aliquem effectum devenire, nisi Regia Maiestas mittat ad nos Oratores suos, ideo mittimus ad eam Nuntios nostros, Nobiles Guntherum de Geberstain et Ioannem Wnergrar,³⁾ eandem Principum nostrorum nomine hortantes et rogantes, ut velit se benignam ostendere in mittendis Oratoribus suis huc cum tali mandato et condicionibus, ut Principes nostri cognoscant Maiestatem Suam aliquid propter amorem eorum fecisse. Sed cum sciamus, quantum Dominatio Vestra Illustris consilio et auctoritate sua valeat apud prefatam Regiam Maiestatem, voluimus eam hortari nostrorum Principum nomine, ut talem se in hoc negocio gerat, qualem Cesarea Maiestas et Serenissimus eius frater confidunt, apud quos semper testimonium perhibebimus de bono animo et opere Vestre Illustris Dominationis... Datum in Moscova, die XII Maii, 1526.

Leonardus Comes de Nogarolis
Sigismundus de Herberstain.

In dorso: Illustri et Magnifico Domino Cristophoro de Schydlowyecz, Palatino et Capitaneo Cracoviensi ac Regni Polonie Supremo Cancellario etc., Domino honorando.

1) Ferdinandus.

2) Basilius Ioannides.

3) Wuecherer.

Schedula adiuncta:

Pro reliquiis Sanctorum iterum atque iterum plurimum rogo Illustrissimam Dominationem Vestram. Erit mihi donum illud gratissimum et acceptissimum. Non expecto caveas illas aureas vel argenteas, nisi ipsa ossa et alia fragmenta id genus, id autem cupio, ut super quodque granum fiat inscriptio, ut sciri possit, quid illud sit. Alia ex Domino Palatino Illustrissima Dominatio Vestra accipiet, quia illi plura comisi quam scripsi.

Audio, quod Dominus Palatinus cum Domino Andrea Tanczinski vellet mittere ad currendum equos suos adversus Illustrissimae Dominationis

Vestrae equos. Et quia Fayiel narravit mihi, quod Illustrissima Dominatione Vestra habet puerum magnum, ego mitto meum Illustrissimae Dominationi Vestrae, licet non adeo parvum, sed peritum. Hunc Sagitam vocare soleo, qui non semel missus fuit a me etiam ad Serenissimum Dominum Regem Hungariae¹⁾ etc.

Si hoc tempore essem in Elbingo, certe nulla ratione retrahi potuissem, quin me apud Illustrissimam Dominationem Vestram sistarem, pro hac celebritate nuptiarum eius, inserviremque Illustrissimae Dominationi Vestrae et novae nuptiae suae, Serenissimae Dominae Regiae²⁾ ac fratribus Illustrissimae Dominationis Vestrae, sed hinc abire nullo possum in hac regia expeditione ex Gedano.

Faylilum quam primum expedire curabo. Expedivissem illum, sed nondum bos ille adductus est mihi, missus ab Illustrissima Dominatione Vestra. Cui iterum atque iterum diligentissime mea obsequia commendo.

Christoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius.
P. D. Secretarius subscriptus.

1) *Ludovicus.*

2) *sic in ms.*

N. 49.

Gedani, 25.VI.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro bove sibi dono misso gratias agit; transmittit exemplum litterarum Nicolai Schönberg, archiepiscopi Capuensis, cum novis ex variis partibus, inter cetera de novis regionibus a Ferdinando Cortesio in America repertis.

Sigill.

(Annexum: exemplum litterarum Nicolai Schönberg, archiepiscopi Capuensis, ad Christophorum Szydłowiecki)

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Cum Magnificus Dominus Iaroslau de Lasko ad Illustrissimam Dominationem Vestram nudius quartus se contulisset, dedi illi litteras, quibus proximis duabus epistolis eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae respondi. In praesentia vero nihil habeo, quod scribam, nisi quod animal illud, mihi ab Illustrissima Dominatione Vestra dono missum, adductum et oblatum est mihi, nempe bos ille, quem Illustrissima Dominatione Vestra, vixor, pro barbeo compreahendit. Eum cum mactari faciam, convocabo amicos, comedemusque ex eo et compotabimus pro salute et incolumitate Illustrissimae Dominationis Vestrae. Videl eum ipsum bovem Sacra Maiestas Regia, ita ornatum, ut adductus est. Viderunt et amici, coram quibus superbire licuit, quod equus¹⁾ a me Illustrissimae

Dominationi Vestrae missus vicerit et Illustrissimam Dominationem Vestrarum plus quam immodice recreaverit.

De novis rebus nihil aliud habemus, quam quod mihi Reverendissimus Dominus Nicolaus Schomborg, Archiepiscopus Capuensis, e Roma scribit. Eius litterarum exemplum Illustrissimae Dominationi Vestrae mitto... Datum Gedani, 25 Iunii, 1526.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae

^{a)} servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

^{a)-b)} *manu propria*.

^{a)} *sic in ms.*

Annexum: Nicolaus Schönberg, archiepiscopus Capuensis, Christophoro Szydłowiecki, Romae, 21.IV.1526.

Illustris Domine.

Cum sit certus nuncius ad Vestrarum Illustrem Dominationem, nolui eum absque litteris meis venire, tum ut meo solito erga illam amori non deesse, tum eciam ut aliquid rerum novarum, quae hic habentur, perscriberem. Quae qualiacumque sint, non ingrata Vestrarum Illustrarum Dominationi futura existimavi. Si ab eo scribebentur, qui nihil magis in hac re, velut in omnibus aliis, querit, quam Vestrarum Illustrarum Dominationis satisfacere voluntati. Ea vero haec sunt. Galliae Rex¹⁾ XVII die Marcii duos filios suos primogenitos obsides dedit Baionamque, Aquitanie urbem, applicuit. Aiunt Maiestatem Suam post Burdegallem venisse, ibi Pascha celebrasse ac propediem Parisios^{a)} esse venturum. Verum si pacta cum Cesare servabit, multi ambigunt, plures non servaturum putant. Et quamvis Rex ipse, ut primum Baionam venit, nequaquam se a conventis discedere velle affirmavit, tamen eventis hoc potius quam conventis docebimur.

An Cesar hoc anno Italiam petet, incertum est. Qui Maiestati Suae favent, hoc potissimum ex illius rebus fore arbitrantur. Pontifex²⁾ componendarum rerum causa Viceregem³⁾ prestolabitur. Mediolani Dux⁴⁾ arxque obsidione adhuc cingitur. Exercitus illic Borbonii⁵⁾ adventum expectat, quem ego puto tardiorem fore, et Ianuensium triremes, que illius advehendi causa Iarraionem⁶⁾ petiture sunt, nondum solvisse. Ferrarie ac Senensis controversialia cum Pontifice quiete se habent. Omnia fere, si Gallus promissa servabit, respicere videntur. Antonius de Cuneo,⁷⁾ Zamorre Episcopus, Hispanicae saedicionis⁷⁾ annis superioribus author ac princeps, cum iussu Cesaris ex fuga captus, Leonis, Adriani ac Clementis⁸⁾ decretis in vinculis teneretur, coniuracione facta, arcis Si manche Praefectum,⁹⁾ sui custodem, occidit, captusque iterum ultimo supplicio affectus est, homo aliquando hic mihi cognitus atque, ut puto, septuagenarius. Cesar ob id a divinis se abstinet ac veniam a Pontifice suis litteris suppliciter peciit eamque impetravit, Pontifice Episcopi factum detestante et admirante tantam lacerissimam Caesaris religionem, hoc potissimum tempore, quo plures apud Germanos innocentes eciam sacerdotes se trucidasse gloriantur.

Ferdinandus Cortesius apud Indos ac magnam Themistitan¹⁰⁾ urbem Cesaris Prefectus, novas iterum, hoc est nobis antea incognitas regiones adnavigavit in mari illo, quod Sur¹¹⁾ appellant. Attulit haec navis quaedam,

quae nuper Hispalim venit, ubi Cesar ac Imperatrix commorantur et coniugio indulgent, mox Cordubam, Granatam, Valenciam ac Barchinonam profecturi. Verum cum mores, condiciones, situs nomenque regionis illius non perscribantur, singula ex primis, ut puto, literis intelligemus, quae ad Vestram Illustram Dominationem mittam... Romae, XXI Aprilis, MDXXVI.

Eiusdem Vestre Illustris Dominationis
servitor
Nicolaus.

- | | |
|--|---|
| a) <i>in ms.</i> Parisius | 6) <i>iorsitan portus Talamonum.</i> |
| z) <i>sic in ms.</i> | 7) <i>Antonius de Acuña.</i> |
| 1) <i>Franciscus I.</i> | 8) <i>Leo X, Hadrianus VI et Clemens VII.</i> |
| 2) <i>Clemens VII.</i> | 9) <i>Alcalde Mendo Noguerol.</i> |
| 3) <i>Andreas Caraffa aut Hugo de Moncada.</i> | 10) <i>Themistitlanum, nunc Mexicum.</i> |
| 4) <i>Franciscus II Maria Sforza.</i> | 11) <i>Oceanus Pacificus.</i> |
| 5) <i>Carolus Borbonius.</i> | |

N. 50.

Gedani, 6.VII.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de salvo conductu a rege oratoribus Danicis libenter concesso; de con-
ventu generali hoc anno celebrando, ad quem rex Daniae insignes
oratores mittere deberet; de negotio agnati Henrici Melitz, magistri
curiae ducis; nova ex Livonia mittit.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Heri hora satis tarda accepi literas Illustrissimae Dominacionis Vestrae, ex Monte Regio secunda die Iulii datas, quibus postulat, quod mere mandare potuit, ut salvum conductum pro Oratoribus et Consiliariis Serenissimi Domini Danorum Regis, huc Gedanum venturis et inde ad patriam reddituris, apud Regiam Maiestatem impetrarem et sine mora Illustrissimae Dominacioni Vestrae mitterem. Feci in ea re debitam diligenciam apud Principem meum. Sua Maiestas respondit non opus esse, inquit, tam amicissimi Regis Legatis ullo salvo conductu. Cum tamen eum habere postulent, libenter illum eis damus. Quem Illustrissimae Dominacioni Vestrae mitto.

Praeterea quod attinet exemplum literarum confederacionis, legi illud in frequenti Senatu Maiestati Regiae. Placuerunt omnia in eo contenta. Verum quia Maiestas Sua Regia hoc anno aget Conventum Generalem Regni, vellet igitur, ut Serenissimus Danorum Rex mitteret ad illum Conventum insignes Oratores suos cum pleno mandato pro confirmanda huiusmodi confederacione etc. Et Maiestas Regia rursus suos Oratores, etiam cum pleno mandato, libenter ad Serenissimum Regem Fridericum missura erit pro confirmanda eadem confederacione.

Scripsit etiam mihi Illustrissima Dominacio Vesta in negocio agnati

Domini Meltycz, per Dominum Havel vulnerati. Magnae curae et cordi mihi est postulacio Illustrissimae Dominacionis Vestrae et peticio Domini Henrici Meltycz, Magistri Curiae Illustrissimae Dominacionis Vestrae, fecique in ea re, pro liberando scilicet adolescente, magnam diligentiam apud Sacram Maiestatem Regiam, et cum Domino Havel locutus sum. Sed mihi iste duriusculus in ea re apparuit. Curabo tamen summa ope, ut cum Domino Havel negocium in bonas condiciones deduci possit. Postea ad Regiam Maiestatem res facilior erit. Rogo igitur Illustrissimam Dominacionem Vestram, inducas mihi dignetur concedere, ut per opportunitatem rem in bonum finem perducere possem. Nihil refert, quod Illustrissima Dominacio Vestra binis meis literis respondere dignata non sit. Respondebit postea. Magna enim et praecipua pars est excusacionis Illustrissimae Dominacionis Vestrae sua inclita et Illustrissima sponsa.

Nova, quae a mercatoribus de Livonia accepi, mitto Illustrissimae Dominacioni Vestrae. Vendo illa ita, ut a me empta sunt. Nam hoc genus hominum novarum rerum est^{a)} percupidum et rarissime certa afferre solet... Datum in civitate Gedanensi, VI Iulii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

^{b)} Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
deditissimus servitor et frater
Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius manu sua.^{c)}

a) ex alio verbo correctum.

b)-c) manu propria.

N. 51.

Gedani, 6.VII.1526.

*Lucas a Górką, castellanus Posnaniensis,
Alberto in Prussia duci
pro adolescente quodam Melticz, agnato Henrici Melticz, magistri curiae
ducis.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 52.

Gedani, 12.VII.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancelarius,
Alberto in Prussia duci
duci scire cupienti, quam diu rex Gedani mansurus sit, ut eum ibi
convenire possit, respondet melius fore, ut eum Elbingi adeat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 53.

Gedani, 14.VII.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro Stanislaw Bielewicz, tywone Dyrwanensi in Samogitia, ut ei profugi
kmethones, in Ducatu Prussiae latitantes, restituantur.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 54.

ex arce Stumensi, 31.VII.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
ut fratri suo [Nicolao] dimittere velit Petrum pictorem, sacerdotem
coniugatum, cuius opera ad depingendas domos uteretur.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Rogavit me impense frater meus, Magnificus Dominus Thesaurarius, servitor etiam Illustrissimae Dominationis Vestrae, intercederem datis litteris ad eandem Illustrissimam Dominationem Vestram, dignaretur dimittere illi quandam Petrum Moler, praesbiterum coniugatum, quem ipse huic arti adhibuerat non absque aliqua impensa. Promittit frater meus hominem bene tractare promittitque illi vitae securitatem, nisi quod vult opera eius uti in depingendis domibus. Rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, meo et fratri mei nomine, dignetur permettere, ut ille Petrus conferat se ad fratrem meum et laboret pingatque ei. Rem mihi et fratri Illustrissima Dominatio Vestra gratissimam faciet... Datum ex arce Schthumensi, die ultima mensis Iulii, anno Domini MDXXVI.

a) Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

Stumae, 1.VIII.1526.

*Nicolaus Szydłowiecki, castellanus Sandomiriensis, Regni Poloniae thesaurarius,
Alberto in Prussia duci
pro Petro pictore presbytero.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Nihil ego dubito, quod Vestra Dominatio Illustrissima tum Magnifici Domini Palatini Cracoviensis, Domini germani mei, intercessionis, cum mee in Marieburgo supplicationis prospectu, illum presbiterum Petrum Pictorem mihi extradere dignabitur, cui ipse promitto, quod apud me bonos dies habebit et eum non excludam spiritualibus, neque in minima erit illibertate aut servitute, solummodo ut inscriptioni sue, quam negare non potest, satisfaciatur. Quam rem Vestre Illustrissime [Dominationi] modis omnibus mereri curabo, ad mandata semper paratus, cupioque ex corde Dominationem Vestram Illustrissimam valere diutissime felicem et in columem. Datum in Stum, prima Augusti, anno Domini 1526.

Commisi eam provinciam solicitationis pro ipso presbitero apud Illustrissimam Dominationem Vestram Domino Czema,¹⁾ bono servitori eius, et quem Vestra Dominatio Illustrissima gratia sua optime prosequitur. Ita illius opera hoc meum desiderium pro animi sentencia futurum tanto profectius credo. Ac his etiam diebus Magnificus Dominus Palatinus Posnaniensis²⁾ cum ceteris Dominis Prussie constituetur, ad cuius Magnificentiam Dominatio Vestra Illustrissima, ubi dignabitur ipsum presbiterum mittere, hunc mihi libentissime remittet...

*Dominationis Veste Illustrissime
obsequiosus*

*Nicolaus de Schidlowiecz, Castellanus
Sandomiriensis, Regni Poloniae Thesaurarius*

1) *Achatius.*

2) *Stanislaus Kościelecki.*

Bolemów, 16.VIII.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de expectato adventu Cracoviam archiepiscopi Rigensis [Ioannis Blankenfeld] ducem certiorem facit.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Iam conscripseram et obsignaveram priores litteras, cum allatae sunt litterae, ab Archiepiscopo Rigensi ex Vilna datae, quibus Sacrae

Maiestati Regiae scribit se ad eam proficiisci Nuncium et Oratorem in hiis rebus, quae attinent ordinem et fines dominiorum tam Maiestatis Regiae, quam Ordinis, petitque, rescriberet illi Maiestas Regia, quem ad locum venire debeat. Maiestas vero Regia rescribi illi iussit, ut Cracoviam veniret. Haec volui Illustrissimae Dominationi Vestrae nota facere... Datum apud opidum Bolemow, XVI Augusti, MDXXVI.

Christophorus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitanus Cracoviensis ac Regni Poloniae Summus Cancellarius^{a)} manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 57.

Braunsbergae, 17.VIII.1526.

*Matthias [Drzewicki], episcopus Cuiaviensis et Pomeraniensis,
Alberto in Prussia duci
ut conventus a duce celebrandus ad aliud convenientius tempus differatur,
rege [Sigismundo I] nunc in Regnum redditum suum adornante.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.349.

N. 58.

Varsaviae, 5.IX.1526.

*Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
nuntiat cancellarium et oratorem ducis [Fridericum Fischer] iam esse
expeditum et ad ducem redire eumque laudat atque commendat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Redit tandem ad Illustrissimam Dominationem Vestram Magnificus Dominus Cancellarius Oratorque eius, qui eo studio, ea diligentia et dexteritate ac prudentia negotia sibi per Illustrissimam Dominationem Vestram demandata coram Regia Maiestate egit et curavit, ut melius, prudentius et diligentius agi et curari non potuerunt. Cui in omnibus tantum prodesse et adesse curavi, quantum requirunt fides, virtus sincerasque mea erga Illustrissimam Dominationem Vestram, simulac officia mea erga quosque de Illustrissima Dominatione Vestra benemeritos et charos. Is Dominus Cancellarius, quamquam nulla mea eget commendatione.

tione, commendo tamen eum Illustrissimae Dominationi Vestrae ea commendatione, qua soleo mihi charissimos probatissimosque commendare. Amo enim hominem, tum propter singularem eruditionem et virtutem, cum propter gratissimos humanissimos mores, et propterea quod sciam eum in gratia et clementia Illustrissimae Dominationis Vestrae mire delectari. Idem Dominus Cancellarius sit vice epistolae. Dicet enim omnia, de quibus cum eo locutus sum... Varschovie, 5 Septembris, anno 1526.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae

^{a)} servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 59.

Vladislaviae, 13.IX.1526.

*Matthias [Drzewicki] episcopus Cuiaviensis et Pomeraniensis
Alberto in Prussia duci
de sacerdotibus apostatis non dimittendis.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime et Excellentissime Princeps etc.

Non miretur Vestra Illustrissima Dominatio, quod apostaticos et perfida heresi infectos sacerdotes, per Vestram Illustrissimam Dominationem petitos, ad Sacrae Maiestatis Regie, Domini nostri clementissimi, mandatum non statim dimiserim. Significavi enim causas Vestre Illustrissime Dominationi, pro mea erga ipsam singulari devotione, per Marsalcum¹⁾ eiusdem, praesertim quod ex certo sciveram Vestram Illustrissimam Dominationem nunquam novisse personas, pro quibus intercesserit, sed nec eorum excessus, quibus Divinam Maiestatem blasphemis declamationibus, tum etiam Sacram Maiestatem Regiam damnatis imprecationibus, Summumque Pontificem et me, suum pastorem, scandalosime iniuriis^{a)} laccessiverint, cognitos habuerit. Et credebam, ceu equum est, ut Vestre Illustrissime Dominationi maioris curae esse deberet tum Divinae Maiestatis, tum Sacrae Maiestatis Regie laudabilis famae offensio, quam istorum hominum prophanorum liberatio. Qui quidem multis et magnis criminibus notati, etiam a sacrilegio non abstinuerunt, vasa sacra de ecclesiis recipienda in prophanos usus impendere non erubuerunt.

Cum itaque Sacrum Ewangelium hoc non erudiat, ut liceat cuiquam rem alienam usurpare, solent enim leges humane minores excessus severe punire, horum autem nequam hominum, proh dolor, excessus ita impuniti transient, in scandalum multorum donati,^{b)} si id equum aut iniquum est, Vestra Illustrissima Dominatio sapientie sue accumine iudicet. Quia vero instantia constans Vestre Illustrissime Dominationis est, ut homines

periuri et prophani manumittantur, Sacre Maiestatis Regie, Domini mei clementissimi, mandatis quam obsequentissime parendum est, ceu semper consuevi, arcesque meas Sue Maiestati apperiam, ut quid mihi non licet, Sue Maiestati liceat, eo prius proviso, ne mihi apud Sacrosanctam Sedem Apostolicam, que auctore Apostolo Deo magis obedire facit quam hominibus, indignationem incurram. Interea nulla informatio mihi data est, quo relegandi tales sunt, presertim cum sciam mentem Maiestatis Regie Sacre de omnibus relegatis, tam laicis hereticis, quam apostatis, quod Sua Maiestas in toto Regno et tota Prussia tales tollerare nequam vult, nec tollerandos permisit. Queram itaque et in eo ipso casu apud Suam Maiestatem informationem.

Illustrissime Princeps, iam pridem declaravi Vestre Illustrissime Dominationi animum meum, quo semper eius Inclitissime Domui inservivi, et quantum cuipiam, Vestre Illustrissime Dominationi Vestre^{z)} inservire, et in hoc quoque casu libenter eidem morem gererem etiam non impulsus, si id cum bona mea conscientia et absque iactura proffessionis mee facere possem. Qui utique ut cristianus, pluris pondero animam quam corpus... Datum Wladislavie, feria quinta in vigilia Exaltacionis Sancte Crucis, anno Domini 1526.

Vestre Illustrissime Dominationis
obsequens Mathias, Dei gratia Episcopus
Cuiaviensis et Pomeraniensis.

a) *hoc verbum in margine.*

b) *sequitur verbum expunctum: debent*

z) *sic in ms.*

1) *Theodoricus de Schlieben aut Melchior Rabensteiner.*

N. 60.

Varsaviae, 16.IX.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de clade exercitibus christianis 29 Augusti a Turcis (ad oppidum Mohács) illata.

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Nunciatus est Sacrae Maiestati Regiae ac nobis infoelicissimus even-
tus cum Turcis Serenissimi Domini, Domini Hungariae et Bohemiae etc.
Regis,¹⁾ et tanta clades, quam eius Maiestas proxime cum exercitu suo
acepit, ut etiam de eius propria salute hactenus nichil constare possit.
Quo acerbissimo casu non solum eius Maiestatis, sed etiam universae
Rei Christianae accepto ingenti dolore perculsi sumus. Timendum enim
est, ne hiis pessimis successibus peiores adhuc succedant. Quapropter
Sacra Maiestas Regia, ut illi Maiestati et Regnis eius eo celerius praesto
esse possit, rebus suis in hoc Ducatu, cuius possessionem citra ullam

difficultatem auspice Deo recepit, non omnino confectis, Cracoviam intra paucos dies proficiscitur, ubi modis omnibus, quibus poterit, non deesse dignabitur et Serenissimo Domino nepoti suo et Regnis eius, utcunque haec alea fortunae sese verterit.

Illustrissimus Dominus Georgius, frater Illustrissimae Dominationis Vestrae, pugnae non interfuit, non enim cum suis tempori adesse potuit. Salvus et incolumis est. Agitque Posonii cum Serenissima illa ac omnium mestissima Regina Hungariae.²⁾ Si quid vel de salute regia, vel de futuris successibus certius habuero, libentissime scribam Illustrissimae Dominationi Vestrae. Quam optime et felicissime valere desydero meque eius amori commendo.

Commissa fuit illa infelicitissima pugna 29 Augusti, quo die idem Imperator³⁾ Nanderalbam interceperat. Imperator non interfuit (ut dicitur) pugnae, redierat enim ad arcem Nanderalbae. Pixedibus primum et tormentis bellicis nostros confecerant. Datum Varschoviae, 16 Septembbris 1526.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae

a) servitor et frater

Cristoforus de Schydlowyecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Ludovicus.*

2) *Maria.*

3) *Solimanus II.*

N. 61.

Varsaviae, 21.IX.1526.

*Iaroslau Łaski, palatinus Siradiensis,
Alberto in Prussia duci
pro nobilibus Ioanne Stanislao et Nicolao, pupillis olim Stephani Kowalewski, intercedit, ut illis certa bona restituantur.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

N. 62.

Drzewica, 26.X.1526.

*Matthias [Drzewicki], episcopus Ciuiaviensis,
Alberto in Prussia duci
de certis pseudo-presbyteris, subditis suis, pro quibus dux apud regem
Sigismundum I operam suam interposuerat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Non erat opus, ut Vestra Illustrissima Dominatio tot nuntiis totque postulationibus a Sacra Maiestate Regia, Domino nostro clementissimo,

hos pseudo-presbiteros, quos pro delictis eorum enormibus numquam nobis subditos iure deputaveram ad agendam penitenciam efflagitasset; cum ego habita informatione et mandato a Maiestate Sua fui paratus parere Sue Maiestatis mandato et eosdem tradere in manus Magnifici Domini Johannis Lathalsky, Castellani Gnesensis et Capitanei Iuniwla-dislaviensis. Et ita Capitaneo meo Vladislaviensi discedens nuper inde propter ortam pestem precepi, ut eosdem prefato Domino Castellano consignaret, cum primum pro eis mitteret credoque iam esse factum. Et tum et in presentiarum scribo prefato Domino Castellano ipsum admonens, ut ipsos iuxta Sacre Regie Maiestatis mandatum recipiat et a finibus regni exterminentur et me hoc onere liberet. Nam ubi Sacre Maiestatis Regie, Domini nostri clementissimi, mandati ac Vestre Illustrissime Dominationis desiderii rationem non haberem, re vera contra eosdem prevarications debitum ac iustum processum instituisse, ut pro eorum demeritis id, quod ius et iusticia suaderet, acciperent. Nam tales nequam homines, quorum procul dubio Vesta Illustrissima Dominatio malitiam ignorat, multa scandalia patrarunt talia, pro quibus merentur iuxta doctrinam Evangelicam igneam emendationem. Tamen Vestre Illustrissime Dominationis misericordiam, qua ipsorum libertatem prosequitur, non reprehendo... Ex edibus nostris paternis Drzewicza 26 Octobris 1526.

Vestre Illustrissime Dominationis devotus
Mathias Dei gratia
Episcopus Cuyaviensis.

N. 63.

Cracoviae, 26.XI.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

in re monetaria et in negotio matrimonii Gulielmi marchionis Brandenburgensis cum Anna ducissa Masoviae operam suam se duci non denegaturum promittit; nuntiat se accepisse litteras a Georgio marchione Brandenburgensi et ab archiduce Ferdinando rege Bohemiae; mittit exempla litterarum cum novis Hungaricis et aliis.

Sigill.

- (8 annexa: 1. exemplum litterarum Ioannis Zapolya ad Christophorum Szydłowiecki, 30.IX.1526;
2. ex. litterarum Francisci Sarffy ad «Reverendissimum», 12.X.1526;
3. ex. litterarum Broderici, cancellarii Hungariae, ad Ch. Szydłowiecki s. d.;
4. ex. litterarum Ioannis Zapolya ad Ch. Szydłowiecki, 11.XI.1526;
5. ex. litterarum Stephani Bathory, palatini Hungariae, ad Ch. Szydłowiecki, 15.XI.1526;

6. ex. litterarum Alexii Turzo ad Ch. Szydłowiecki, 15.XI.1526;
 7. ex. litterarum Broderici ad Ch. Szydłowiecki, 14.XI.1526;
 8. elenchus nobilium Hungarorum, ad pugnam ad Mohács pertinens)

Epistola Ch. Szydłowiecki ad ducem iam ed.: A.T.VIII, CXCI (sine annexis)

H B A, B 2, K.349.

Annexum I: Ioannes Zapolya Christophoro Szydłowiecki, 30.IX.1526.

Spectabilis ac Magnifice Domine.

Scripsimus ad Serenissimum Principem, Dominum, Dominum Poloniae Regem, Dominum nostrum communem et gratiosissimum, litteras nostras de clade accepta, que una cum Maiestate Regia, Domino nostro gratiosissimo, Dei Optimi iudicio vel alias utcunque evenit. Et de statu eciam huius oppressi Regni, quo in termino ad praesens existat. Quas ad Vestram Dominationem Spectabilem ac Magnificam misimus cum praesentibus. Rogamus itaque eandem, dignetur intuitu amicicie nostre ipsas litteras nostras Maiestati Suae praesentare.

Quod autem hactenus Maiestati Suae et Vestrae Dominationi Spectabili et Magnifica nil scripserimus, rogo eandem, non dignetur vicio desidiae meae ascribere. Ex quo id onus fratri nostro charissimo, quem tunc de conflictu rediisse audiveramus, ut nomine utriusque nostrum Maiestati Suae, cui nos semper fidelissime servivimus et servire cupivimus omni sollicitudine nostra, scribere deberet. Postea tamen in serviceis Maiestatis Regiae et Christianitatis occubuisse ipsum accepimus, sique Maiestas Sua bono servitore caret, et Dominatio Vestra Spectabilis et Magnifica bono amico privatus. Nos autem unico atque charissimo germano nostro sumus orbati. Quare rogamus Dominationem Vestram Spectabilem et Magnificam, dignetur apud Maiestatem Suam partes suas imponere eidemque supplicari, ut Maiestas Sua moneat Dominos huius Regni, qui adhuc reliqui sumus, ut ipsorum propriae saluti et rebus Reipublicae conservacionique religionis Regni velint consulere et maturius providere... Ex Feghrosrusk, in festo Ieronimi, anno Domini MDXXVI.

Servitor Ioannes Comes Wayda manu sua.

Cordiale litterarum.

Ceterum rogamus Dominationem Vestram Spectabilem et Magnificam, dignetur servicia mea Maiestati Suae Regiae commendare, ut cum videat Maiestas Sua me solum remansisse, ne dignetur Sua Maiestas uti serviceis nostris, ubi putamus non minora servicia Maiestati Suae exhibere posse quam quispiam in hoc Regno.

Annexum II: Franciscus Sarffy, provisor Iaurinensis, « Reverendissimo », 12.X.1526.

... Reverendissime Domine, etc.

Hiis diebus Serenissima Reginalis Maiestas Uldaricum Czetrycz,¹⁾ cum quibusdam aliis fidelibus servitoribus suis ac litteris, ad me miserat mandaveratque, ut ipsi Czetricz pro requisitione corporis Maiestatis

Regie, Domini nostri graciosissimi felicis memorie, proficiscenti duodecim equites meos dare ac cum ipso in eum locum mittere deberem. Quamvis hoc tam arduum negocium proceres Regni Hungarie attingeret, ego tamen iuxta meae fidelitatis exigenciam nolui Maiestati Suae medio tantum familiarium et servitorum meorum servicia exhibere, verum in persona mea propria cum eodem Czetricz ad hoc ipsum peragendum profectus sum. Noverit autem Vestra Dominatio Reverendissima dicta et relata omnia memorati Czetricz fuisse verissima. Nam dum loco appropinquarremus, necedum tamen attigissemus, Czetricz a longe locum michi digitto demonstravit.

Festinanter illuc venimus, et quum unum mortuum in luto et paludibus comperimus, Czetricz²⁾ corpus Regie Maiestatis illic esse arbitratus, spretis paludibus luto se iniecit, sub equo corpus regium cum reliquis comitibus quesivit, nec reperit. Arma tantum Maiestatis Sue ibidem inventit. Paululum inde progressi, corpus unum exangue vidimus. Quod versando cognovimus corpus esse Trepka, Magistri Curiae Maiestatis Sueae. Multa denique corpora diuicius versantes, regium corpus inter illa non reperimus. Non longe sub quodam portu quandam sepulturam novam vidimus, et quasi divino instinctu humatum corpus Maiestatis Regie cognovimus.

Accurrimus omnes, ante omnes alios Czetricz unguibus suis terram cepit vellicare. Nos quoque similiter, primum a parte pedum aperta sepultura, dexterum pedem hominis sepulti Czetricz arripuit, aqua duorum pileorum diligentissime lavit signumque, quod Maiestas Regia dextra pede habebat, deprehendit exclamavitque voce magna: Hoc est Regie Maiestatis, Domini mei semper graciosissimi, certissimum corpus, flexisque genibus cum lachrimis osculatus est. Re cognita, corpus effodimus, caput primum et ora abluimus pulcherrime, per ea signa, que Regia Maiestas in dentibus gerebat, se esse indicavit. Teges quidam erat nobiscum ductus, quem distendimus et in eum corpus Maiestatis Sue deposuimus. Aqua pura purissime abluimus. Absit adulacio, et Reverendissima Dominatio Vestra credere dignetur, nunquam vidi corpus exangue hominis tam incorruptum tamque non fastidiosum et minus terribile. Nulla enim corporis Sueae Maiestatis pars corrupcionem aut feditatem aliquam habuit, nec minimum vulneris, etiam in quantitate aciei acus, preterquam exiguum in labiis.

Hiis igitur summa cum reverencia peractis, regium corpus in linteamen mundum, quod ego ex Iaurino propter hoc ipsum duxeram, involvimus ac sepulcro, quod similiter ex Iaurino duxeram, imposuimus, Deoque Optimo Maximo opitulante, ubique magna et optatissima pace, venimus. Dum autem Albam Regiam appulimus, precurrit Czetricz et hec ipsa Iudici civitatis aliisque omnibus declaravit. Illi, ut decuit, cum omni clero et populo magna cum processione civitatem²⁾ egressi, regio funeri obviam venerunt. Demum corpus Maiestatis Sueae [in] civitatem induximus et in domo Prepositure Albensis in quadam testitudine²⁾ magno honore deposuimus, aperto tumulo regium corpus Iudici civitatis ostendimus. Cognovit et ipse suum Dominum, mox occlusimus ac Martino Horwath custodiendum reliquimus. De quibus omnibus ipse Czetricz, praesentium exhibitor, Veste Reverendissime Dominacioni lacijs explicabit. Optassem profecto, ut Sacre Reginali Maiestati, Domine mee graciissime, in multo felicioribus rebus servicia impendere potuissem. Sed cum in prosperis non licuit, in adversis etiam ad omnia mandata

Sue Maiestatis et Vestre Reverendissime Dominationis ut deboeo, semper paratus sum... Ex arce Iaurinensi, feria sexta post Luce Ewangeliste, 1526.

Humillimus servitor et capellanus
Franciscus Sarffy, Provisor Iaurinensis.

^{a)} sic in ms.

1) Zettritz.

Annexum III: Brodericus [Stephanus Brodarics], cancellarius Hungariae, Christophoro Szydłowiecki.

Credo Dominacionem Vestram Spectabilem et Magnificam intellexisse de quodam homine, quem nostri Nigrum vocant. Est nacione Rascianus, genere, ut pro certo affertur, de familia Imperatorum Constantinopolitanorum, multi eum sequuntur. Recuperavit hiis diebus, Thurcis inde expulsis, castrum Thorvugh,¹⁾ non procul a Savo flumine. Hodie actepimus litteras a Despoto Rasac, in quibus scribit eum civitatem quoque et sedem Episcopatus mei, Banmonostra vocatam, a Thurcis liberasse et milites suos ibi imposuisse.

Scribit preterea Despotus eum a se petere bombardas, velle transire Savum, invadere terras hostiles.

Italiam totam intelligimus bellis fervere, Hispanorum aliquot millia hostia Tiberina occupasse. De Pontifice etiam intelleximus rursus nescio quid adversi. Miro modo prosperatur Cesaris ubique fortuna. Nescio, quomodo Dominus Waywoda sit et viribus et fortune Cesareae par futurus. Deus det illud, quod est pro Regno Hungariae, misera patria mea, et pro tota Christianitate melius.

Ego cum viderim dissensionum istarum, que exoriuntur, non fore ita cito finem, in quo utinam sim falsus vates, sigillum Regni, quod fuit apud me, quod iam nulli poterat esse usui, Dominis apud Reginalem Maiestatem²⁾ existentibus et Maiestati Reginali publice presentavi, consulens, quidnam de eo esset agendum. Illi, habita super inde deliberacione, responderunt ob easdem causas, quas ego proposueram, illud esse confringendum. Atque ita, presente Maiestate Reginali, Dominis Consiliariis, multis primoribus, nobilibus atque etiam hoc servitore Regie Maiestatis, est confrictum atque in tres partes dissectum. Ego a molestia eius custodiendi liberatus. Quod propter multas causas visum est longe consilicius, quam illud diuicius, presertim inter istas dissensiones, retinere, presertim Regno in duas partes diviso et me omnino neutrali esse non valente.

Nunciant michi fratres et amici, apud Dominum Waywodam existentes, integra michi esse et salva omnia, tam quoad alias promociones, quam quoad officium. Ego tamen non possum hinc discedere, magis officio boni et constantis viri ductus, quam ulla alia causa.

Dominum Waywodam colo et observo, ut optimum patronum ac Dominum, sed officio deesse non possum. Quicquid ulterius sors tulerit, neque id propterea quod huic parti me obligarim.^{a)} Nam id non feci, sed pro salvo honore vix aliud facere possum, quam remanere apud Reginam, quae, ut alia omittam, omnia sua consilia mecum hactenus sine ulla excepcione communicavit. Expectabo exitum istarum rerum, neque me intromittam presertim in ea, que ad dissensiones civiles et ad bella pertinent. Precabor Deum, alii pugnabunt, Deum, auctorem et amatorem pacis, sicut bonus sacerdos, ut velit iam tandem tante ruinae

patrie misereri, ut parcat, parcat populo suo, et ne det hereditatem nostram funditus in perditionem.

Idem Brodericus Cancellarius.

a) in ms. abligarim

1) *Torurug, in archidiaconatu Tolna, dioec. Quinqueclesiensis.*

2) *Maria Austr.*

Annexum IV: Ioannes rex Hungariae Christophoro Szydłowiecki, 11.XI.1526.

Iohannes, Dei gracia Rex Hungarie etc.

Spectabilis etc.

Proximis diebus, cum optimates et proceres huius Regni nostri Hungarie in oppidum nostrum Tokay convenissent, exque tocius nobilitatis voluntate generalis congregatio regnicolarum nostrorum in civitate nostra Alba Regali in hunc diem tunc futurum decreta esset, cumque ad conditum diem in dictam civitatem nostram Albam Regiam ventum fuisset, atque ibi corpus Serenissimi olim Domini, Domini Ludovici Hungarie et Bohemie etc. Regis, predecessoris nostri felicis reminiscie, nuper e limo, exiccato iam gurgite, in quem incautus se precipitem dederat, effossum inque ecclesia maiori honestissime depositum, iaceret exanime, visum fuit nobis, ut ante omnia prestantissimi Principis funeri iusta persolverentur. Incubuimus igitur nihil minus humando funeri ipsius Serenissimi Domini, Domini Ludovici Regis, nam fieri non poterat tabescencia iam pridem membra diuicis super terre faciem conservari.

Pro nostra igitur erga Serenissimam Maiestatem Suam fide et observancia atque sincero veroque affectu, feria sexta proxima ante festum Beati Martini Episcopi et Confessoris, huius Maiestatis Sue, ut regium decuit corpus, solennibus ceremoniis, decenti funerali pompa, in magna hominum frequencia sepulchro maiorum suorum intulimus. His factis, sequenti die Prelati, Barones, Proceres omnisque nobilitas more maiorum suorum convenerunt. Alii in campo libere extra urbis menia, alii in septa et domesticos parietes de summa rerum consulturi. Res enim et calamitas Regni moram fieri non paciebatur, ne hoc Regnum, tam satis superque afflictum, sine tutore, sine Rege deinceps nutaret, placuit omnibus, omnium Ordinum optimatibus nobilibusque, una omnium voce et consensu, ut nos, nihil unquam tale aliiquid sperantes, eligeremur in Regem. Et licet hoc dignitatis fastigium videretur, nostro quidem iudicio, impar viribus nostris, tamen preces et ipsa regnicolarum nostrorum pene coactio, atque adeo collabentis Regni status urserunt nos huic oneri humeros nostros subicere. Quod sperantes in Dei Omnipotentis misericordia et Intemeratae Dei Genitricis patrocinio, non tam ultro quam ipsius Dei populique iussu fecimus. Deinde hoc die ex eiusdem Dei Maximi clemencia, que nos ad hunc dignitatis apicem vocare dignata, exque omni regnicolarum nostrorum pari voto et acclamacione, sacro diademate instar divorum Regum Hungarie, nostrorum predecessorum, solenni ritu insigniti publice sumus. Que ob id vobis recensenda censuimus, ut nostro felici successu congratuletis (quod fieri non dubitamus), ubi sincerum vestrum amorem erga nos semper novimus... Datum in civitate nostra Alba Regali predicta, ipso festo Beati Martini Episcopi et Confessoris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

*Annexum V: Stephanus de Báthori Ecsedi Christophoro Szydłowiecki,
15.XI.1526.*

Spectabilis etc.

Propter varias meas ocupaciones nunc mihi ad Vestram Magnificam Dominacionem longioribus non licet uti litteris. Propediem enim missurus sum hominem meum proprium ad Maiestatem Serenissimi Principis, Domini utriusque nostrum clementissimi, deinde ad eandem. A quo omnia plene et vere Dominacio Vestra Spectabilis et Magnifica intelliget, que hic acta sunt et quomodo, queve, quod avertat Deus, ad hoc afflictum Regnum brevi ventura sunt pericula, ni opportune et in tempore prudencia Serenissimi Principis Vestre Spectabilis et Magnifice Dominacionis nobis provisum fuerit nobisque Maiestas Sua remedio adhibito pharmacum aliquod non prestiterit. Dominacionem itaque Vestram Spectabilem et Magnificam amore, quo in hanc patriam semper fuit affecta, hortor et obtestor, persuadeat Maiestati Sue, ut curet eadem incendium iam pro pedium inter nos suscitandum sua prudencia extingue. Pro quo meritum Maiestas Sua in primis a Deo Optimo, Vestra quoque Magnifica et Spectabilis Dominacio sit habitura, nosque omnes Maiestas Sua devictiores sibi ad serviendum reddat... Ex Posonio, feria quinta proxima post Beati Martini Episcopi et Confessoris, anno Domini 1526.

Eiusdem Vestre Spectabilis et Magnifice Dominacionis
servitor et frater
Stephanus de Barthockegin¹⁾ Hungarie Palatinus etc.

1) recte: Báthori Ecsedi.

Annexum VI: Alexius Turzo Christophoro Szydłowiecki, 15.XI.1526:

Spectabilis etc.

Ex litteris meis, quas novissime ad Maiestatem Regiam, Dominum communem gratiosissimum, dedi, potuit Spectabilis Dominatio Vestra plane intelligere, quomodo Dominus Vayvoda noster a quibusdam fratribus nostris partis suae sit in Regem electus et coronatus in illo conventiculo eorum Albensi. Quae res qualiter processerit, Spectabilis Dominatio Vestra secum diiudicet. Intelligimusque, procul dubio velit nos, qui penes Maiestatem Reginalem sumus, proscribere et bonis nostris nos privare. Cogitandum erit nobis quoque, quo recurrentum sit. Sed quia ab initio semper fuit mihi Spectabilis Dominatio Vestra fautor et patronus optimus, et ego consueverim summa cum fiducia, tam in prosperis quam in adversis rebus, ad Dominationem Vestram, tanquam Dominum et amicum confidentissimum, confugere, nunc etiam, cum sorte mea in haec tempora inciderim, rogo Spectabilem Dominationem Vestram, non desit mihi pro solita in me sua benevolentia velitque apud istam Maiestatem Regiam ita me et res meas promovere, quo beneficio istius Serenissimi Principis et Dominationis Vestræ possint negotia et res meæ foelicius procedere... Posonii, feria quinta proxima post festum Beati Briccii, anno Domini MDXXVI.

Servitor Alexius Turzo de Bethlensalwa etc.

*Annexum VII: Stephanus Brodericus Christophoro Szydłowiecki, 14.XI.
1526:*

Illustrissime Domine etc.

Doleo me nihil ad Vestram Dominacionem hinc scribere posse nisi omnia tristia. Vixdum quieverunt bella Thurcica, iam renovantur alia. Dominum Vayvodam electum in Regem et coronatum Vestra Illustrissima Dominacio, credo, intelligit. Non solum hoc, sed alia quedam, de quibus ad Dominum meum Premisiensem¹⁾ plura scribo. Adeo moverunt Serenissimum Principem Ferdinandum, ut videatur hec perpetuis armis vindicaturus, ad que paratum habet exercitum, et iam iam videtur fines Hungarie ingressurus. Parte ex altera non dubito Dominum Vayvodam rebus suis minime defuturum. Inter hec quomodo se habebunt reliquie misere Hungarie? Cum Principe Ferdinando sunt plures e Dominis Hungarie, quos Vestra Dominacio intelligit.

Si quid est, in quo Regie Maiestati Domini nostri communis gratiosissimi servire vel possim vel sit opus, Vestra Dominacio Illustrissima aperte mihi scribat. Sed res Hungarie in hunc modum se habent, quicquid consilii Maiestas Regia inter hec est captura. Alia cum ex sceda presentibus inclusa, tum ex litteris ad Dominum Premisiensem... Ex Posenio, **XIIII Novembbris** 1526.

Vestre Illustrissime Dominacionis
servitor deditissimus
Stephanus Brodericus dd. Cancellarius.

Mitto ad Vestram Illustrissimam Dominacionem paria litterarum eius, qui fuerat missus ad corpus regium perquirendum.

1) *Andreas Krzycki.*

Annexum VIII: Elenchus procerum Hungarorum, ad pugnam ad Mohács pertinens.)*

Qui in bello perierunt:

Dominus Ladislaus Zalkanus¹⁾ Archiepiscopus Stregoniensis, Primas Regni
Dominus Paulus Thomoy²⁾ Archiepiscopus Colocensis, Generalis Capitaneus

Dominus Franciscus Periny³⁾ Episcopus Varadiensis, filius Palatini defuncti
Dominus Phillipus Morc⁴⁾ Episcopus Quinqueclesiensis

Dominus Blasius Paxy⁵⁾ Episcopus Iaurinensis

Dominus Franciscus Chalcholy⁶⁾ Episcopus Chanaciensis

Dominus Georgius de Palyra,⁷⁾ Doctor, Episcopus Boznensis

Ex Episcopis ex prelio evaserunt:

Zagrabiensis, Waciensis, Nitriensis, Sirmicensis, qui et Cancellarius.
Item Episcopus Seginensis.

Non interfuerunt:

Dominus Agriensis et Dominus Transsilvanensis, Vesprimiensis et
Trinnivensis.

Ex secularibus perierunt:

Georgius Comes Scepusiensis, frater Wayvode Transsilvanensis, Capitaneus
Generalis, collega Domini Collocensis

Ioannes Dragffy, Iudex Curiae Regiae, quod secundum est post Palatinatus in Regno officium

Ambrosius Sarkan ⁸⁾	Comes Kalactiensis	Baro
Franciscus Orzag ⁹⁾	Comes et	Baro
Petrus Korlathkeny,	Magister Curiae Regiae	Baro
Andreas Trepka,	Magister Curiae Regiae	Baro
Antonius Palochy ¹⁰⁾	Comes	Baro
Gabriel Periny ¹¹⁾	Comes	Baro
Franciscus Hampo		Baro
Sigismundus Banfy		Baro
Mathias Zluny	Comes de Frangepanibus	
Thomas Zeechy ¹²⁾	Comes	Baro
Laurencius Banffy		Baro
Ioannes Battiany, ¹³⁾	Cubicularius	Baro
Simon Horwath,	Magister Pincerna	
Nicolaus Tharchay, ¹⁴⁾	Capitaneus, Cubicularius	
Gregorius Orlowchith,	Capitaneus Segniensis	
Ioannes Paxy ¹⁵⁾	Comes Tholnensis	
Franciscus Balasza ¹⁶⁾	Comes	
Michael Feketew, ¹⁷⁾	Cubicularius captus, frater Pauli Batyth	
Stephanus Aczel, ¹⁸⁾	Castellanus Posoniensis	
Primores ex nobilibus cum cubiculariis et aulicis regiis circiter		
VIcentos, si non plures.		
Secretarius Regius Ladislaus Thoth, ¹⁹⁾	Budensis	
Equitum, quot millia perierunt, vix possumus adhuc coniicere, debent		
esse ad IIII millia.		
Peditum XII millia cum suis Capitaneis, curruum circiter quinque		
millia, equorum currulum circiter XV millia.		
Tormenta maiora bellica V.		
Minora, que nos barbatas Pragenses appellamus, VIcenta.		
Naves onerariae IIcentae.		
Interfecta prope Strigonium rusticorum V millia, partim capti, partim		
interfecti per Hungariam in diversis locis usque ad IIcenta millia.		

Ex secularibus Dominis redierunt:

Dominus Stephanus de Bathor,	Palatinus	Baro
Dominus Francus de Batyan, ²⁰⁾	Banus Croaciae	Baro
Dominus Petrus Peryny ²¹⁾	Comes Themesiensis	Baro
Dominus Andreas de Bathor	Comes	Baro
Dominus Ladislaus Hore,	Magister Dapiferorum	Baro
Dominus Emaricus Orzag ²²⁾	Magister Cubiculariorum, Comes	Baro
Dominus Ioannes Banfy	Comes	Baro
Dominus Petrus Erdewdy ²³⁾		Baro
Dominus Ioannes Thachy ²⁴⁾		Baro
Dominus Chaspar Raskay ²⁵⁾		Baro
Dominus Valentinus Thewrek ²⁶⁾		Baro

Non interfuerunt prelio ex secularibus:

Dominus Wayvoda	Transsilvanensis
Georgius de Bathor,	Magister Agazonum Regalium, valitudinarius
Sigismundus de Lewa ²⁷⁾	Comes et Baro, valitudinarius
Michael Orzag ²⁸⁾	valitudinarius, Baro
Gaspar Somy ²⁹⁾	
Gaspare Horwath,	Magister Dapiferorum, Baro
Ioannes Hampo,	relictus ad custodiam Sclavoniae, Baro

Ex Comitibus Croatiae nullus interfuit, preter Mathiam Zluny superdictum, quia tarde venerant.

Despotus Rasciae, Despotus ad custodiam Posege.³⁰⁾

- | | |
|-----------------------|-----------------------|
| 1) <i>Szalkay.</i> | 16) <i>Balassa.</i> |
| 2) <i>Tomori.</i> | 17) <i>Fekete.</i> |
| 3) <i>Perényi.</i> | 18) <i>Aczel.</i> |
| 4) <i>Moré.</i> | 19) <i>Tóth.</i> |
| 5) <i>Pekry.</i> | 20) <i>Batthyány.</i> |
| 6) <i>Csaholyi.</i> | 21) <i>Perényi.</i> |
| 7) <i>Palinai.</i> | 22) <i>Országh.</i> |
| 8) <i>Sárkány.</i> | 23) <i>Erdödy.</i> |
| 9) <i>Országh.</i> | 24) <i>Csáky.</i> |
| 10) <i>Palóczy.</i> | 25) <i>Rászkay.</i> |
| 11) <i>Perényi.</i> | 26) <i>Török.</i> |
| 12) <i>Szécsi.</i> | 27) <i>Lévai.</i> |
| 13) <i>Batthyány.</i> | 28) <i>Országh.</i> |
| 14) <i>Tarczay.</i> | 29) <i>Somi.</i> |
| 15) <i>Paksy.</i> | 30) <i>Pozsega.</i> |

Iam ed. A.T.VIII, CXCI, ex exempl. cum erroribus.

N. 64.

Cracoviae, 9.XII.1526.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

per cubicularium regium mittit exempla litterarum regis Ferdinandi.

Sigill.

(2 annexa: exemplum litterarum regis Ferdinandi ad regem Sigismundum I et litterae eiusdem regis Ferdinandi ad Christophorum Szydłowiecki)

H B A, B 2, K.349.

Illustrissime Princeps etc.

Mitto post Illustrissimam Dominacionem Vestram hunc cubicularium regium, qui eandem sequetur usque quo illa volet, in eum usum, ut per eum Illustrissima Dominacio Vestra Maiestati Regie rescriberet quicquid opus erit, et cum eo exemplum litterarum Serenissimi Domini, Domini Ferdinandi Electi Regis Bohemiae etc... Datum Cracoviae, die nona mensis Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

*Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
Christophorus de Schidlowiecz, Palatinus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius.*

*Annexum I: Ferdinandus electus rex Bohemiae ad regem Poloniae
17.XI.1526.*

Serenissime Rex, etc.

Cum semper hactenus Serenitatem Vestram loco parentis nostri charissimi dileximus, cum quod nos tanquam filium dilectum redamari, tum quod Serenissimam Domum nostram simul ac nostras res fovere et promovere non desinat, idcirco eandem pro magna in eam animi fiducia latere noluimus, quamvis iam diu omnia illa ad eandem perlata esse credamus, quod licet nos virtute contractuum et compactatorum veterum, et presertim novissime in civitate Viennensi et Posoniensi cum Vladislao Rege Hungariae et Bohemiae^{a)} per quondam Cesarem Maximilianum, Dominum et avum nostrum colendissimum, Serenitatis eciam Vestre authoritate et robore interveniente, erectorum, et quod Serenissima consors nostra dilectissima dicti quondam Vladislai Regis filia naturalis et legitima ac Serenissimi olim Ludovici, itidem Regis Hungariae et Boemiae, soror germana¹⁾ fuerit, Regnum Hungariae, quod ad nos et Serenissimam conthoralem nostram tam divino quam humano iure spectare dignoscitur, intrare eiusque plenam et omnimodam administrationem humeris nostris imponere de iure potuerimus, quod tamen propter plures respectus evidentes, et potissimum, ne Regnum prefatum, ab immanissimo Thurcarum Tiranno multifariam devastatum, maiori onere et iactura gravaretur, intermisimus.

Nichilominus Ioannem de Zopolya Comitem Scepusiensem, Waywodam Transilvanensem, post immaturum infelicemque interitum Ludovici Regis, quem inevitabili persone Regnique sui necessitate circumseptum, perpetua sui suorumque ignominia dereliquit, ut eo sublatlo Regno illo per fas nephasque potiretur, de quo suo olim tempore agendum erit, nonnisi spiritu superbiae ductum, nuper a complicibus suis uno die electum et altera²⁾ coronatum esse in assertum iniustissimumque dominatorem Hungariae. Quod ut felicius sibi succederet, anteaquam terminus Dietae veniret et Serenissima Domina Maria Regina Hungariae et Boemiae, Marchionissa Moraviae, soror nostra dilectissima, ac Stephanus de Bathor, Regni prefati Comes Palatinus et Iudec Comancensis Regiensis, quibus eiusmodi Dietarum indicatio ex antiquo pertinet, ad diem Dive Catherine proxime futurum in civitate Gamore celebrandum indixerunt, impium quoddam conciliabulum ad Albam Regalem, anticipato termino, quem ad diem Divi Emerici Dicis callide prefixerat, conscribere non est veritus contra antiqua privilegia, decreta et indulta, Regno illi concessa et inconcusse hactenus observata. Et simul Nunciis et Commissariis nostris, quos ipse antea a nobis efflagitabat, cum ad eum pervenissent, nullam audienciam publicam dare voluit, ne forte per eorum proposita impio animi sui instituto nocerent.

Quibus dolis et malis artibus usus, nos et Serenissimam consortem nostram de tam liquido iure nostro detrudere conatus est. Nisi ergo illis in tempore obvietur et, quod aiunt, clavus clavo cudatur, Serenitas Vestra optime coniicere poterit, quam notam cunctis hoc Regibus et toti demum Christianitati sit pariturum. Preterea considerare potest, quibus viribus, quibus conatibus hoc Regno obtento, una cum Regno Bohemiae, Moravia, Slesia et patriis illi coherentibus aliisque nostris finitimis, prefato Thurcarum Tiranno occurrere et resistere potuerimus. Idque non solum Regno illi patriisque nostris proficuum et salutare, sed et Poloniae ac toti deinde Christianitati utile et accommodum fuisset. Que omnia, nisi Regnum

hoc subigamus, impedientur formidandumque est Thurcam, hac occasione arrepta, suo inherenti proposito auctisque viribus et copiis suis demum illud aggressurum. Quod cunctis eciam gentibus terrorem incuciet. Accedit insuper aliud, quod eque ac premissa, perpendendum est, nempe grave et intollerabile foret universae Christianae Reipublicae Regibus, et presertim his, qui liberos habent, sicubi quem decedere contingat, subditi posthac illius nullo iure, nullo titulo legittimos heredes a Regni successione excludere conentur, queque pericula Reges a subditis suis eo casu expectare debeant. Ut ergo tam his, quam alis practicis pestilentissimis opportune occurratur, aliaque Regna et dominia tam morbo non viciunt exemplum, Serenitatem Vestram, nobis arctissimo sanguinis et necessitudinibus vinculo iunctam, hortamur, rogamus et obtestamur, ut pro sua in nos benivolentia et pariter nostro erga eandem officio et amore fraterno, ac propter bonam pacem et tranquillitatem publicam, quam pro singulare prudencia sapienciaque sua nunc potissimum pensabit, velit nobis et Serenissime consorti nostre prefate, tanquam nepti Serenitatis Vestre Serenissime ac charissime, in hac re suo favore, consilio, auxilio et subsidio adesse et opitulari, sicut Serenitatem Vestram indubie facturam esse confidimus... Datum Viennae, die XVII mensis Novembris, MDXXVI.

Ad Regem Poloniae.

- a) sequitur verbum expunctum: Rege
- z) sic in ms.
- 1) Anna Jagellonica.

Annexum II: Ferdinandus electus rex Bohemiae Christophoro Szydłowiecki 25.XI.1526:

Ferdinandus, Dei gratia Electus Bohemie Rex etc., Princeps et Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundie etc.

Illustris, sincere nobis dilekte.

Mittimus in presenciarum vobis litteras annexas ad Serenissimum Dominum Poloniae Regem eius tenoris, quem ex inclusa copia videre potuit. Cum itaque res illa nobis cordi hereat, speremusque nos votivum a Serenitate Sua resonsum accepturos, ad quod tamen procurandum et obtainendum nobis pre ceteris offeratur persona vestra, in quam singulari sane fiduciam collocavimus, eam igitur hortamur et rogamus, ut litteras illas Serenitati Suae presentare et nichilominus iuxta earum seriem cum eadem agere et tractare velitis, quod voti nostri compotes evadere queamus. Quod indubie fiet, ubi vos ita in rebus nostris, sicut hactenus indefesse fecistis, interposueritis. De quo equidem minime dubitamus. Idque erga vos singulariter, ubicunque se offeret occasio, rependemus. Datum in civitate nostra Vienna, die XXV mensis Novembris, MDXXVI.

Ferdinandus.^{a)}

In dorso: Illustri Domino Cristoforo a Schidlowyecz, Serenissimi Regis Poloniae etc., Domini et fratris sororique nostri charissimi, Consiliario, Palatino et Capitaneo Generali Cracoviensi et Regni Cancellario, sincere nobis dilecto.

- a) manu propria.

1527

N. 65.

s.l., 31.I.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

*in negotio debiti regis [Sigismundi I], cum dote matris ducis coniuncto,
Ordines Regni decrevisse nuntiat, si eiusmodi debitum revera exsistat,
se id neque civitate ulla neque parte Masoviae persolvere non posse,
utpote in hoc casu de obligatione regis, non Regni agatur; scribit
etiam de necessitate legati ad coronationem regis Ferdinandi Pragam
mittendi et de periculo belli civilis toti Hungariae impendenti, nisi
mediatio regis Poloniae sequeretur.*

(Adest solummodo versio germanica)

Iam ed.: A.T.IX, 40.

H B A, B 2, K.350.

N. 66.

s.l., 31.I.1527.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

*ad litteras ducis respondet, de negotio fratrum suorum Casimiri et
Georgii tractantes, Christophoro Szydłowiecki scriptas, qua de re
regem [Sigismundum I] nil aliud adiungere posse nuntiat quam id,
quod iam domino a Schwarzenberg Marienburgi declaraverit; in ne-
gotio marchionis Gulielmi nihil se consequi potuisse, nam rex causa
Masovitica occupatus sit.*

(Adest solummodo versio germanica)

Iam ed.: A.T.IX, 40.

H B A, B 2, K.350.

N. 67.

Cracoviae, 7.II.1527.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro Iacobo Zyra (in ms. Zira) de Mielno, ducis subdito de districtu Olsztynek (Olstinek), sed in Regno Poloniae serviente, ut a fidei sponsione duci debita liberetur.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 68.

Cracoviae, 20.II.1527.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

gratias agit pro libello sibi misso, quo dux ad calumnias magistri Ordinis Theutonicorum respondet; commutationem prioris vitae ducis iterum probat; de Tartaris a duce Constantino [Ostrogski] in Lithuania debellatis refert.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Etsi libellum (quo calumniis Theodorici de Cleee iustissime prudenterneque respondet Illustrissima Dominatio Vestra), Germanico sermone excussum, iam ante legerim elegantiamque eius simul, et quod breviusculo sermone multa et maxima complectatur, mecum admiratus fuerim, tamen et hic Latinus factus,^{a)} ab eadem Illustrissima Dominatione Vestra michi missus et opera Domini Cracoviensis Palatini redditus, una cum litteris eius, erat michi tam gratus tamque iocundus, ut michi eo tempore nichil contingere potuisse gratius ingenue fatear. Nam cum iam ab inicio Illustrissime Dominationis Vestre gratiam summopere expetiverim, ne dicam ambiverim, haut vulgare indicium eius assequende michi nancisci videor, quod me non tacita preterire, quin participem pulcherrimi et iustissimi facti sui facere non est dedita Illustrissima Dominatione Vestra. Quare habeo ei (que maxime fieri possunt) gratias.

Quod ad me attinet, hanc commutationem prioris vite Illustrissime Dominationis Vestre, quodque verum Christi dogma amplexa est, in tantum iam pridem probabam proboque, ut, si necessitas id exigeret, re ipsa in sententia perseverare me commonstrararem, nedum verbis. Hactenus Illustrissima Dominatio Vestra nulla mea servitute uti dignata est, fortassis propterea quod ad nichil sum aptus, quod me non mediocriter discrutiat. Proinde Deum Immortalem oro (sine cuius ope nichil fit), ut

michi eam mentem eamque occasionem ministrare velit, quo Illustrissima Dominatio Vestra plane perspicaret meum de eadem merendi affectum.

De Tartaris, in extremis Ducatus Lithuaniae desertis a Duce Constantino tumultuarie congesta manu adortis caesisque, sribent fortassis alii maiores amici fusius ad eam. Ego duntaxat illud adscribam, caesos quidem esse Tartaros et maxima strage adfectos, in eoque maximam virtutem et cum Tartaris belli gerendi peritiam Constantini Ducis enitusse certum est, sed caesi sunt et antea sepenumero, etiam me in parte laboris et periculi existente. Ac tamen mox semper de exercitu contra eos instaurando rursus cogitabatur, nam hoc genus hostis duricia vite et bellorum continuacione adeo praestat, ut cum eo immortale quoddam bellum geri necesse sit. Quod uthpote peritissimus belli Dux, facillime perspicere potest Illustrissima Dominatio Vestra. Quam Deus una cum coniuge sua clarissima pro Christiani Orbis summa spe et commodo quam diutissime incolunem servet et pulchra faciat prole parentem... Cracovie, 20 die Februarii, 1527.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
humilis et fidelis servus
Ioannes Szamboczski.

a) sequitur expunctum: michi

N. 69.

Cracoviae, 22.II.1527.

*Andreas a Górkा
Alberto in Prussia duci
se libellum ducis sibi missum ob styli elegantiam et abstrusos sensus
non ad plenum intellectuisse scribit, sed ducem adversarium suum
efficaciter confutasse existimat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Post commendacionem servitutis mee.

Libellum una cum litteris acte pi ab Illustrissima Dominatione Vestra. Quem tametsi propter stili eleganciam, quo conscriptus est, tum eciam propter abstrusos sensus in eo contentos, non ad plenum adhuc intelligere potui, tamen sedula et diligent ei lectione id assecutum me mihi videor, ut Illustrissimam Dominationem Vestram iustissime, prudentissime simul et doctissime adversarium suum confutuisse^{z)} plane perspiciam, nec dubito, quin si res ita posceret, ferro et armis eciam de eisdem adversariis se vindicaret Illustrissima Dominatio Vestra... Cracoviae, 22 die Februarii, anno Domini MVXXVII.^{z)}

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre servitor
Andreas de Gorka subscrispsit.

z) sic in ms.

N. 70.

Cracoviae, 27.II.1527.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de litteris et de defensione contra Theodoricum de Klee, Theutonici Ordinis magistrum, scripta et in frequenti Senatu lecta gratias agit; de sua, se invito, in oratorem ad regem Bohemiae nominatione et de proxime futura ad eum profectione; de limitibus inter Samogitiam et Ducatum; de teloneis; de Gedanensibus proscriptis; de machinacionibus Ordinis Theutonicorum; de capitanei Samogitiae. Stanislai [Janowicz] bona valetudine, quem mortuum esse dux scripserat; de presbyteris captivis ab episcopo Cuiaviensi [Drzewicki] dimittendis; de victoria a duce Constantino [Ostrogski] de Tartaris reportata. Sigill.

Iam ed.: A.T. IX.56.

H B A, B 2, K.350.

N. 71.

Cracoviae, 28.II.1527.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

de nuntii ducis tardiore expeditione; de Theutonicorum magistro [Theodoro de Klee] ducem lacesere non desinente; de teloneo; de renovandis limitibus inter Samogitiam et Ducatum Prussiae; de palatino Cracoviensi [Christophoro Szydłowiecki] ad regem Ferdinandum pacificationis causa inter reges Bohemiae et Hungariae misso.

Sigill.

Iam ed. ex concepto sine data in: A.T.IX.69 (Kod. Sap.)

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Ante omnia velim, ut Vestra Illustritas boni consulat seriorem aliquanto hic huius sui Nuntii expeditionem, non ob aliam certe causam factam, nisi quod preter res ac negotia presentis Conventus etiam multum aliarum actionum erat cum Oratoribus e diversis regionibus, usquedum hic presentibus, adeo ut Regia Maiestas de rebus Vestrae Illustrissimae Dominationis vix inter hec mihi copiam facere potuerit sui alloquendi, tanta hic rerum nunc moles est publicarum et privatarum simul et externarum.

Quod autem scribit Vestra Illustrissima Dominatio se lacesitam

esse nec desinere impeti a Domino Magistro Theutonicorum, dolerem illius conatum potius quam Vestrae Illustritatis vicem, nisi abunde responsum eidem viderem. In tantum etiam, ut si sapiat, credam illum potius de supersedendo quam de scribendo huiusmodi dicteria deinceps cogitare, quamquam ego hanc, quam mihi misit Vestra Illustritas, suam responsionem legere hactenus non potui (multis impeditissimus), lecturus diligentius iterum eandem prima quacunque oportunitate.

De theloneo rescribit Vestrae Illustrissimae Dominationi ipsa Regia Maiestas, quae, qua est humanitate singulari et clementia, factura esset omnia, quecumque citra quiritionem subditorum commode facere posset. Illud tamen commeminit Maiestas Sua non esse pretermissum in federibus, ne quae thelonea nova instituantur. Instituta vero et aucta non ita pridem, ut cessent.

De renovandis limitibus inter Samogithiam et Prussiae Ducatum non abnueret Regia Maiestas, ut vel nunc occasio daretur hoc ipsum faciendi, sed non nescit Sua Serenissima Maiestas Dominum Stanislaum,¹⁾ illarum regionum Prefectum, preter senectutem illius extremam, quae satis per se est morbus non levus, subinde etiam nunc graviter egrum esse, (quamquam nec solius etiam, si valeret) aut unius foret huic disternationi interesse. Ad quod tamen faciendum captabitur brevi aliquod idoneum tempus. Ceterum de interitu filii eiusdem Domini Stanislai vana fuit istic oborta fama, nam vivunt uterque,²⁾ sed alias quispiam adolescentes, perinde insigni familia in Lituania oriundus, cognomento Ilynycz, in venatu periiit.

Illustrissimi Domini germani Vestre Dominationis, vel tacente Vestra Illustritate, ego fidelem ac sedulam mentionem apud Regiam Maiestatem iam feci ac sepe alias faciam, quoties commodum ac in rem fore putabo. Nam de Masoviticis rebus usque huc (ob publica et graviora quedam) nihil hactenus tractatum fuit. Restat tamen tractandum. Serenissimus Dominus meus, qua est perpetua vigilantia et studio in Rempublicam Christianam et illius quietem pacemque stabilendam, non ferens, immo dirimere cupiens, si qua ratione posset, hoc quicquid est dissensionis et controversiae inter Serenissimos Bohemiae et Ungariae Reges, nulli neque sumptui neque labori parcens, misit ultro nuper ad Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum Magnificum Dominum Palatinum Cracoviensem, quod illi bene vertat, de concordia inter eosdem Reges et Regna eorum tractanda. Cui precor exitum conatumque ac redditum faustum... Datum Cracovie, die ultima mensis Februarii, anno Domini MDXXVII.

^{a)} Eiusdem Vestre Illustrissime Dominationis servitor

Petrus Episcopus Cracoviensis et Vicecancellarius subscrispsit.^{b)}

^{a)-b)} *manu propria.*

^{z)} *sic in ms.*

¹⁾ *Janowicz.*

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

novitates varias mittit de regibus Ferdinando et Ioanne, de pontifice Romano [Clemente VII] et de imperatore [Carolo V], de Ordine Cruciferorum necnon de Turcis, Tartaris etc.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Sufficiebat Nipczicz solus ad hec sollicitanda, que Illustritas Vestra utrique nostrum mandavit. Sed idem Nipczicz ad Ferdinandum Regem Wratislaviam missus, Calendis Maii hinc discessit, rebus Illustritatis Vestre non perfectis. Delegaverat michi tamen reliquias earum, quas perlibenter excepi, quamquam nescio, an satis ex sententia Illustritatis Vestre responsum fuerit. Sed utut responsum est, simul et causas, cur tam sero responsum, ex litteris Regie Maiestatis intelliget. Ego illud vel iuratus affirmare possum, si in potestate mea id esset, Illustritatem Vestram vellem esse et fore amplissimam potentissimamque.

Nonus dies hodie agitur, quo Rex Ferdinandus Wratislaviam ingressus est. Nec tamen adhuc huc quicquam allatum est, quid isthuc moliatur. Illud constat Slesie Duces, preter Opoliensem,¹⁾ esse in sollicitudine, ne dicam in timore. Sunt qui existiment Evangelium, quod nuper libere predicari cepit, ex Slesia exturbaturum. Regi Hungarie palam minitatur verbis ampullosis et minacibus, si res verbis responderint. Actum est de Hungarie Rege, quamquam ad Calendas Iunii de concordia inter eos Olmicii tractari debet, sed hec videbimus, si vivemus. Nullum exercitum adhuc habet, sed sui eum magnam vim peccuniarum habere predictant, quamquam constet eum Fucharis multum debere, sed de hiis rebus fortassis plura et certiora a Nypczicz perscribentur.

In Italia certum est res Caesaris magna ex parte concisas esse et depressas. Papa satis sibi est potens atque vaffer, ita ut eum eciam ad indignas tanta Maiestate condiciones cogat, preterquam quod multa oppida et castella Appulie Caesaree ditionis sunt intercepta. Reliquis²⁾ exercitus Caesaris, qui est ex peditibus Germanis in Lombardia, inopia consumitur. Ob quam rem Georgius de Frunthsberg dolore periit et extinctus est. Tanta est ignorantia gerendi Imperii. Fama est Turcum hunc annum quieturum. Nescio, an Tartari quiescent. Orator Regis Anglie,²⁾ qui adhuc ante necem Ludovici Regis ad ferendas contra Turcum suppetias cum peccuniis missus fuerat, auditaque cede regia Coloniae constiterat, fuit hic Craccovie, rursus ad Ferdinandum profectus. Voluit ad Regem Ioannem ire, sed eum Ferdinandus ire prohibuit, asserens se esse Hungarie Regem, et non Ioannem, ambit predam, quam olfecit. Ita michi Orator ipse narravit. Sed idem Orator dicit hanc predam difficile sibi e manibus extorqueri esse. Conventus Imperii Ratisbone indictus est ad medium Quadragesime preterite. Sed nemo Ducum adhuc illic est.

De reducendis in Prussiam Cruciferis est etiam aliquod murmur, sed hec credo Illustrissimam Dominationem Vestram, qua est sapientia, omnia melius et perfectius scire. A me duntaxat propterea scripta sunt, quo

intelligat me dignitati et commodis suis favere Illustrissima Dominatio
Vestra... Cracovie, IX die Maii, 1527.

Nypezicz abiens hinc reliquit apud me litteras, Illustrissime Domi-
nationi Vestre inscriptas, eas eciam mitto.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
minimus servus
Ioannes Szamboczski.

z) sic in ms.

1) Janussius.

2) Henricus VIII.

N. 73.

Cracoviae, 22.V.1527.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

de negotio cudendae monetae ad conventum Elbingensem reiecto; de
castellani Cracoviensis [Christophori Szydłowiecki] aliorumque pro-
cerum Polonorum nova ad regem Ferdinandum legatione de pacifi-
catione inter ipsum et Ioannem regem Hungariae.

Sigill.

Iam editum: A.T.IX, 172.

H B A, B 2, K.350.

N. 74.

Cracoviae, 24.V.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae can-
cellarius,

Alberto in Prussia duci

de sua iam peracta Bohemica legatione deque nova Olomucium proxime
futura projectione pacificationis causa inter reges Ferdinandum et
Ioannem, de cuius tamen successu parum spei se habere scribit.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Nuper cum adornarem rursus iter ad conventum Olomucensem, red-
ditae sunt mihi tandem litterae Illustrissimae Dominationis Vestrae,
Montis Regii decima nona Marcii datae, in quibus optat, ut legatio mea
Bohemica mihi feliciter succederet, utque illi duo infensissimi sibi invicem
Reges redirent in gratiam. Ego certe, omnibus admotis machinis, rem
aggressus eram apud Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum nihil-
que intentatum reliqui, quominus armis negocium ageretur. Verum non
potui amplius impetrare, quam quod ad paucos dies, nam ad primam
Iunii proximi, utrinque ab armis temperaretur. Nunc, ut dixi, rursus ad
Olomuncz proficiscor, nomine Serenissimi Domini nostri quesitus
condiciones pacis cum utriusque Maiestatis Commissariis, quibus hoc bellum,
quod imminet, intercipi et pax firma componi possit. De qua re plus

desperationis quam spei habeo, utriusque enim Regis pectus ardet potiundi Regni.

Negociorum illorum, existens apud Dominum Ferdinandum, habui bonam rationem, sed nichil erat ab eis dictum. Et cum illi tacerent, ego etiam nihil dixi. Sed Rex honorificentissime et clementer Illustrissimae Dominationis Vestrae meminit, ubi etiam et mea opera ac efficacissimum studium in commendanda Illustrissima Dominatione Vestra non defuit.

Nova apud nos nulla sunt... Datum Cracoviae, die 24 Maii, 1527.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schydlowyecz in Smyelow et Magna Opatow,
Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae
Summus Cancellarius^{a)} manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

N. 75.

Cracoviae, 3.VII.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius.

Alberto in Prussia duci

de nativitate filiae duci et ducissae gratulatur; de nullo exitu secundae legationis suae ad Dietam Olomucensem pacificationis causa inter Ferdinandum Bohemiae et Ioannem Hungariae reges; de papa; de rebus Italicis nihil certi.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Rediens nuper ex Dieta Olomucensi, inveni hunc servitorem Illustrissimae Dominacionis Vestrae, expectantem me cum litteris eius, in quibus mihi significare dignata est natam sibi recens filiolam. Quae significatio tanta me leticia et gaudio affectit, ut id litteris consequi non possum, atque ita Deo Optimo Maximo, conditori et servatori humani generis, maximas ago gratias, Vestrae Illustrissimae Dominacioni sueque charissime coniugi magnum in modum gratulor, quod pueram, corporis et animi habitu valentem, ipsa incolumis edidit. Servet eam Dominus Ihesus per gratiam suam in annos Nestoreos et tribuat Illustrissimae Dominacioni Vestrae, pariter et Illustrissimae Dominae Ducis, ut ambo filios filiorum videre et deosculari possitis. Sed cum grata est Illustrissima Dominacio Vestra de nata sibi filiola, dabit Dominus Deus, ut et filios ex sua charissima uxore deinceps suscipiat. Quod ut fiat, Suam Divinam Maiestatem precabor.

De ratione legationis mee in Dieta Olomucensi nescio quid aliud scribam, quam quod post magnos sumptus, post summos labores, quos occasione pacis inter Serenissimos Dominos Reges Hungarie et Boemie, cum colega meo, Reverendissimo Domino Plocensi,¹⁾ subii, et post moram

Olomucensem satis longam et anxiā, tribus enim ebdomadis illic egimus, rebus infectis domum redimus. Nihil illic pretermisimus, quo non suasimus utrius partis pocius pacem quam bellum amplectendum, sed illi^{a)} tam diversissimis extremis laborarunt, ut nec pacem nec inducias producere potuimus.²⁾ Serenissimus enim Rex Ferdinandus noluit nisi Regno absolute potiri, Rex vero Hungarie nequaquam id sibi persuadere passus est, nisi coronam simul cum capite perderet. Sic atrox bellum ex utraque parte fovetur, et video, quod in illis regionibus omnia bello arsura, die dominico proxime preterito inducie expirarunt.

De rebus Italicis nihil certi sciri potest. Alii affirmant Pontificem Romanum²⁾ cum Cardinalibus captum, alii constantissime negant, qui aiunt eum rursus urbem per confederatos recuperasse et Cesarianos vel ad unum cesos... Datum Cracovie, feria quarta proxima post Visitacionis Deipare Virginis festum, anno Domini M quingentesimo vigesimo septimo.

Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae
Christophorus de Schydlowyecz in Szmyelow et Magni Opatow,
Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae
Cancellarius^{a)} manu sua.^{b)}

a) in ms. ille

1) Andreas Krzycki.

b)-c) manu propria.

2) Clemens VII.

z) sic in ms.

N. 76.

Cracoviae, 3.VII.1527.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,
Alberto in Prussia duci
de nativitate filiae gratulatur; marchionem Gulielmum ad curiam regis
[Sigismundi I] viginti equorum numero venire posse, in singulos
equos decem florenos in moneta stipendii loco habiturum, significat.
(subscriptio deest)

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 77.

Cracoviae, 4.VII.1527.

Stanislaus Grabowski
Alberto in Prussia duci
parata sua servitia coram rege in negotiis ducis offert.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 78.

Lomża, 9.VII.1527.

*Paulus Brzeski, succamerarius Ciechanoviensis, capitaneus Lomsensis,
Alberto in Prussia duci
de equo, kmethoni Mattis per scribam ducis, Theodoricum a Schlieben
(Schliff), adempto, eidem kmethoni restituendo.
(Germanice)*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 79.

Ciechanów, 10.VII.1527.

*Felix Brzeski (de Brzesczie), palatinus Masoviae, capitaneus Ciechanoviensis,
Alberto in Prussia duci
excusat se, quod equum a duce expetitum ei mittere non potest.*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 80.

Vladislaviae, 9.VIII.1527.

*Matthias [Drzewicki], episcopus Cuiaviensis et Pomeraniensis,
Alberto in Prussia duci
sacerdotes captivos se dimittere non posse asserit, quoniam ipsorum
errores, haereses et scandala sunt manifestissima.*

Vest. sigilli.

Iam ed. A.T., IX, p. 343.

H B A, B 2, K.350.

Cracoviae, 11.VIII.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de successibus imperatoris [Caroli V] in Italia; de rebus Hungariae;

de Tartaris, et aliae notitiae.

Sigill. Autogr.

(Annexa: 1. *schedula adiuncta de rege Galliae,*

2. *schedula de rebus Gedanensibus,*

3. *duo exempla litterarum Stephani de Werbewcz ad Christophorum Szydłowiecki de rebus Hungariae,*

4. *exemplum litterarum ex Vienna Leonardi ab Harrach ad Szydłowiecki, 22.VII.1527, de eisdem rebus,*

5. *exemplum litterarum fratrum Fugger ad Szydłowiecki de rebus Romae actis)*

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Cum iste Dominus Foelix, aulicus regius, mihi dixisset se iturum ad Illustrissimam Dominationem Vestram, nolui permittere, ut in conspectu eius sine meis veniat, quibus salutem et incolumitatem Illustrissimae Dominationis Vestrae duxi invisendam, significans me quoque rectissime valere. Et Sacra Maiestas Regia, gratia Deo, bene habet.

Novarum rerum etsi plena est aula nostra, fieri tamen solet tempore belli, ut interdum illa, quae circumferuntur, non sunt vera. De rebus Italicis et foelicibus successibus Sacrosanctae Imperialis Maiestatis in Italia credo Illustrissimam Dominationem Vestram aliunde accepisse. Sed tamen quae mihi Domini Foggeri scribunt, ea ex hoc exemplo litterarum ipsorum Illustrissima Dominatione Vestra dignabitur intelligere.

Res Serenissimi Domini, Domini Regis Ferdinandi, in Ungaria feli-citer se habent. Potitur enim Sua Maiestas arce Posoniensi, arce Tyrnawiensi, arce Thebenensi. Deficiunt etiam ad Maiestatem Suam non pauci ex Ungaris. Accedit ad hoc, quod natus est hisce diebus Suae Maiestati Regiae filius, matre salva et incolumi. Quem Dominus Deus servet una cum parentibus in annos Nestoreos. Quae rursus in Ungaria aguntur, haec omnia Illustrissima Dominatione Vestra ex copia litterarum Magnifici Stephani de Werbewcz, Cancellarii Regni Ungarie, intelligent, quas hiis allegatas mitto.

Tartari, anniversarii hostes nostri, adhuc nos non infestant. Sunt tamen in procinctu. Regia Maiestas, certo edocta existens de illorum vi, iussit regnicolis suis in armis esse, ut, si irruerent in dominium Maiestatis Suae Regiae, possint sine mora ad Capitaneum exercitus regii accurrere.

Heri hinc Illustrem Dominum Ducem Constantinum¹⁾ expeditivimus, ut, quam primum possit, perveniat ad gentes regias, quae sunt in Magno Ducatu Lituaniae. Sunt hic apud Maiestatem Regiam Oratores Serenissimi Domini Regis Bohemiae et Hungariae, ac Regis Galliae.²⁾ Nondum

sunt expediti. Si quid habet Illustrissima Dominatio Vestra ex Germania,
rogo perscribere mihi dignetur... Ex arce Cracoviensi, die 11 Augusti, 1527.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schydlowyecz, Castellanus et Capita-
neus Cracoviensis, Regni Polonie Summus Cancellarius,

a) manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Ostrogski.*

2) *Franciscus I.*

Schedula I, de rege Galliae:

Rex Francie mittit in Italiam triginta millia peditum et sexcentos
cataphractos, decem millia Helveciorum, quorum Prefectus, Dominus
Fridericus de Bodsoly,¹⁾ decem millia lanceariorum, quorum Prefectus,
Dominus de Waudamont,²⁾ decem millia, qui dicuntur Awentureri, partim
ex Gallis, partim ex Italies. Prefectus cataphractorum, Comes Theodorus
Mediolanensis.³⁾ Tocius exercitus Generalis Capitaneus, Dominus de
Lothrek. Stipendum habent ad sex menses paratum, debuerunt in Ita-
liam descendere XXV Iunii.

Cedulam suprascriptam hac hora mihi misit Dominus Anthonius
Ryncon,⁴⁾ Orator Serenissimi Regis Galliae. Eam ego rursus Illustrissime
Dominationi Vestre mitto.

Christophorus etc.

1) *Fridericus de Bozole.*

3) *Trivulzio.*

2) *Valdemonte - Vaudémont.*

4) *Antonius Rincon de Medina del Campo.*

Schedula II, de rebus Gedanensibus:

Scripsit mihi amiculus quidam ex Gedano ante paucos dies his
verbis: Magnifice et Strenue Domine, factum est, ut tridue a data harum
quidam ab urbe Nuncius a Caesare quam celerime alegatus, auro,
quantum ter manu licuit in praeda et direptione Romana aprehendere,^{a)}
quod Nurimbergi posuit in bancum, onustus, venit ad nos Gedanum
litteris ad Illustrem Dominum Prussiae Ducem instructus, et ut eius
relatione, cui haec credidit, accepi, dixisse se timere, ne a Duce aliqua
pena afficiatur, quandoquidem haberet litteras, quae, rescivit, iram et
indignationem Domini Ducis designarent.

Hactenus fuerunt verba illius, qui scripsit. Rogo, significet mihi Illu-
strissima Dominatio Vestra, si ita est necne...

Idem Cristoferus.^{b)}

a) in ms. apreherendere

b) tota schedula manu propria Christophori
Szydłowiecki exarata est.

*Anneulum III: Stephanus de Werbwecz ad Christophorum Szydłowiecki,
6.VII.1527:*

Spectabilis etc.

Si nova vel recentiora vel letiora significatu digna habuissem, libens
cum Magnifica Dominatione Vestra communicassem. Hec, que habeo, eidem
perscribere institui. Non ignorat Dominatio Vestra Magnifica, quid ille
sediciosus latro, quem hominem Nigrum appellant, huius Regni Hungariae

publicus hostis, in quo Rex Ferdinandus precipuam consequendi istius Regni spem atque fiduciam collocarat, superioribus hiis mensibus egerit, quas turbas, quos tumultus in hoc Regno excitaverit, quantam vastitatem atque cedem ediderit. Iam eo ventum erat, ut is, presertim postquam Rex ipse Ferdinandus eum in amicum atque confederatum receperat, adeo magno terrori omnibus esset, ut magis quodammodo timeretur quam alii hostes, vel Turci vel Germani.

Eam ob rem commiserat Regia Maiestas, Dominus meus gratiosissimus, hiis superioribus diebus Reverendo Domino Emerico Crybat,¹⁾ Electo Episcopo Varadiensi, unius partis copiarum Sue Maiestatis Prefecto et Capitaneo, ut hanc pestem cum toto huiusmodi latronum exercitu, qui non contemnendus erat, deleret. Idem etiam Spectabili et Magnifico Domino Petro de Peron,²⁾ Vayvode Transilvaniae, Sua Maiestas mandaverat. Qui dum iussu Sue Maiestatis valido cum exercitu ex Transilvania exiret, Dominus autem Episcopus non longe ab eo loco, ubi istius latronis exercitus erat, abesset, ratus idem latro facilius Episcopum solum quam cum Vayvoda coniunctum suos acie superaturum, omnes fere, quos secum habebat³⁾ (quae non parva erat tam equitum quam peditum manus), in castra subsidio aliis festinantissemittit cum mandatis, ut antequam Vayvoda superveniret, Episcopum opprimerent. Ipse eventum rei expectans cum paucis, vix supra ducentis, equitibus prope Bachiam,⁴⁾ ubi tunc erat, substitit. Cum hoc igitur exercitu Dominus Episcopus vige sima quinta die mensis Iunii congressus, eum vicit ac pene delevit.

Commiserat itaque eiusdem Regia Maiestas Dominis Episcopo et Vayvode, ut reliquias latronum et ipsum etiam ducem eorum persequantur. Qui quidem latro, priusquam Domini Vayvoda et Episcopus Tibiscum fluvium traicerent, rursus exercitum ingentem, tum ex reliquiis eorum, qui ab cede Episcopi vitam fuga salvarant, tum ex rusticana colluvie, partim metu et terrore, partim seditione sibi adherente, colligit et obviam Dominis Vayvode et Episcopo ad ripam ipsius Tibisci seu Ticie premitit, ut eos transitu fluminis prohiberet. Ipse, electis et congregatis strenuis quibusque eiusdem exercitus sui mille circiter et quingentis equitibus ac peditibus, civitatem Regie Maiestatis Zegedicum,⁴⁾ magnam et preteritis temporibus populosam, diripit ac depredat. Inde que magna cede peracta, ad castra sua dum se recipere contendit, in pago quodam Tornos⁵⁾ appellato Magnificus Valentinus Tewret,⁶⁾ vir genere et factis nobilis, eum offendendo pauca manu aggreditur atque fudit, et caput eius cum vexillo albo, quo utebatur, hesterna die Regie Maiestati dono misit. Quod nunc ante arcem Budensem palo suffixum habetur.

Colluvies rusticana, perempto suo duce mox divisa, ad habitacula sua rediit, agriculture ceterisque laboribus provisura. Residua vero pars exercitus ipsius latronis, ex equitatu collecta, graciam regiam implorando, servitio Sue Maiestatis sponte se dedit. Tractatur nunc cum eis super stipendio et conditionibus servitutis. Speramus itaque in Deo glorioso, quod ex istis principiis non infervidis prospera omnia sequentur, et quod summus rerum omnium arbiter, qui iustus, immo ipsa iusticia est, iustum suum non derelinquet, neque pacietur hanc miseram nationem, paulo ante ad extrellum afflictam et a calamitate per infideles ei nuper inficta aliquantulum respirantem, ab Germanorum faucibus absorberi, in servitudinemque perpetuam redigi. Quicquid ego potero, certe non deero, sed manibus pedibusque, quod aiunt, pro salute patrie nostre labore. Castrum Posoniense et Tirnavia per deditonem, vel potius proditionem,

Regi Ferdinando cessit. Exercitus eius, ex octo millibus (ut fertur) equitum et peditum conflatus, iuxta Posonium se collocat. Quorsum ulterius tendat, nondum pro comperto habeo. Quicquid tamen sequetur, curabo Dominationem Vestram Magnificam iterum certiorem reddere... Bude, sexta Iulii, anno gratiae 1527.

Stephanus de Werbewcz
Regius Cancellarius manu propria.

Titulus huius latronis, quo utebatur, talis erat: Iowan Czar a Deo missus. Iowan Czar, id est Ioannes Cesar.

- a) *hoc verbum in hoc exemplari deest (adest in altero).* 3) *Bács.*
1) *Czibak.* 4) *Szeged.*
2) *Perényi.* 5) *Törnyos.*
 6) *Török.*

Annexum IV: Leonardus ab Harrach ad Christophorum Szydłowiecki:

Illustris etc.

Actepi litteras Illustris Dominationis Vestre de VIII^a huius, ex quibus summam eius in me benevolentiam intellecti. Que etsi meritis meis adhuc impar esse videatur, tamen maxime cuperem illam, si quo modo possem, animo prompto paratissimoque promereret et hoc denique facere, quod suae primum autoritati congruit, meo quoque in eandem officio convenit. Cui propterea ago et habeo gratias immortales.

Circa tractationem vero adhuc in negotio Comitis Scepusiensis¹⁾ obeundam, ego quidem quod per me consulam, non video. Sed haud absurdum mihi videretur, si Serenissimus Rex Poloniae adhuc rem tentaret per Nuncium Maiestatis Suae, qui Dominationi Vestrae Illustri ad id appareret magis idoneus et practicus. Nam si Dominatio Vestra Illustris rem feliciori fine adhuc terminari curaverit, ita ut homo ille coronam Regni sponte cedat, non dubitet de animo et liberalitate regia, apud quam ipsa me semper pro sui amantissimo studiossimoque servitore et amico habere velit in quibuscunque rerum suarum occurrentiis. Quod et ego mihi de ea vicissim apud Maiestatem Regiam Poloniae persuadere audeo.

Nova plane nunc apud nos [non] sunt, nisi castrum Posoniense et Dewen per deditonem in manus et potestatem Serenissimi Domini Regis mei XIII^a huius devenisse Maiestatemque Suam in animo habere hac septimana instanti in propria persona descendere cum reliqua exercitus sui parte. Altera enim precesserat ulteriori Danubii ripa ad Dewen.²⁾ Quod iam cum artellaria magna obsederat et vi oppugnatura erat, nisi se in tempore reddidisset. Venerunt insuper nova castrum Vesprimense in manus Vayvode devenisse, sed occupatio eiusdem nobis prius involvit quam obsessio. Ex Italia aliud non est, preter Venetorum exercitum esse ad depopulandos fructus circa Mediolanum, Capitanicum autem Cesaris³⁾ ibidem egressum eorundem 4000 octidisso... Ex Vienna, die XXII mensis Iulii, anno a nato Hiesu MDXXVII.

Eiusdem Dominationis Vestrae Illustris et Magnificaee
Vestrae Illustris Dominationis²⁾
deditissimus
L. ab Harrach

2) sic in ms.

1) Zapolya.

2) Dévény.

3) Carolus V.

Magnifice etc.

Scripsimus Magnificentiae Vestrae proximo^{a)} Iunii et hactenus nihil litterarum ex Urbe accepimus in hunc usque diem, sed Florencia et Venetiis venerunt ad nos scripta huius tenoris, quod Sanctissimus Dominus Noster, Pontifex Romanus,¹⁾ simul cum illis Cardinalibus, quos apud se tenuit, in Arce Sancti Angeli captos se in dicionem Cesareae Maiestatis tradiderint et ex utraque parte illius Maiestati in Hispaniam scriperint, ita ut posteaquam responderit Cesarea Maiestas, Pontifex illius disposicioni et ordinacioni parere teneatur. Item Sanctissimus Dominus Noster militibus Cesareae Maiestatis solvet 400 millia ducatorum, videlicet mox in parato CL millia et reliquum certis terminis constitutis.

Exercitus autem Cesareanus Urbem egredi recusat, nisi prius accepta priore pecuniarum summa in parato, videlicet CL millia ducatorum, deinde pars earum copiarum Romam subsidiis tuebitur. Altera Florenciam se conferet et Mediolanum. Rome plurimum grassatur pestilencia et tota insuper Italia charistia, rerum omnium penuria, premitur. Helvetii in armis sunt habentque X millia peditum. Confoederacio Grisonum²⁾ III millia aut quatuor simul cum illis mittunt Mediolanum. Quibus copiis iungendos aiunt quosdam equites cataphractos ex Galliis peditesque Cascalios.³⁾ Que omnia indicio sunt bellum nondum attigisse suum finem. Ad hec Rex Galliarum⁴⁾ ademit Germanis mercatoribus ac penitus abstulit omnes immunitates, hactenus haberit solitas. Proinde illis mercatoribus, qui Germaniam Inferiorem incolunt, terminum prefixit, ultra quem in Galliis sese invenire non paciantur, nisi et rerum et vite velint sustinere dispendium. Ex quibus omnibus discimus sola arma hiis temporibus in illis regionibus valitura. Plura non extant hac tempestate, sed quitquid deinceps emerserit novi, curabimus, ut Magnificentia Vestra preopere sciatur... Ex Augusta in Vindelicis, die XVI Iulii, anno Domini MDXXVII.

Magnificentiae Vestrae deditissimi
Raymundus, Antonius et Ieronimus Fugger
propria manu.

a) sequitur spatium album.

3) Gascones.

1) Clemens VII.

4) Franciscus I.

2) Grison-Graubünden.

N. 82.

Cracoviae, 4.IX.1527.

Christophorus Szydłowiecki, palatinus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius.

Alberto in Prussia duci

de presbytero quodam captivo liberando, pro quo dux intercesserat, se apud episcopum Cuiaviensem [Drzewicki] egisse refert; de imperatoris nuntio ad ducem projecturo; de peste in Polonia grassante; de rebus Hungaricis.

Sigill.

Iam ed.: A.T.IX, 277.

H B A, B 2, K.350.

Cracoviae, 5.IX.1527.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

de rebus Hungariae, de regibus Ferdinando et Ioanne; rumores de papa [Clemente VII] imperatoris [Caroli V] iussu Neapolim in custodiam translato; de reginae Poloniae [Bonae] ob metum pestis Cracovia discessu.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Etsi de rebus, que per terrarum orbem geruntur, difficile est scribere ei, qui eis coram non interfuerit, qualis ego sum, qui hunc annum perpetuum pedem Cracovia non extuli, tamen quantum ex litteris et nunctiis, que ad Curiam Regiam adferuntur, scire potui, pro summa mea erga Illustrissimam Dominacionem Vestra fide et observancia ei scribo. Aput nos, mirum dictu, ab omni genere hostis summum otium fuit, sive quod firmum presidium in limitibus habeamus, sive quod Tartarorum vires propter editam in eos hoc anno a Duce Constantino¹⁾ stragem nonnihil concise fuerunt.

Ferdinandus Rex, repressa Bohemorum arrogantia, ad penitima usque Hungarie, fratre Illustrissime Dominacionis Vestre, Illustrissimo Domino Casimiro, ductore, se contulit, et obviis quibusque nullo negotio in dedicationem acceptis, Budam quoque possedit, conventumque Hungaris indixisse fertur ad proximum festum Nativitatis Sancte Marie. Ioannes vero, sive ille Rex, ut amici eius, sive Comes vel Vayda, ut adversarii eum vocant, ab omnibus fere suis relictus et spretus, ad Tokay, quod castellum est prope Agriam, cum paucis, quos fidos habere videtur, se recepit. Incertum, quid moliatur, nam nemini suorum consilia sua aperit. Dicitur tamen bonum animum et spem sibi fingere, quamquam res eius iam deplorare esse videntur. Certum tamen est fortunam in omni re dominari.

De Papa ita scriptum est hic a Foggeris, quod tandem cum omnibus Cardinalibus Caesaris iussu Neapolim in custodiam translatus sit. Serenissima Domina Regina Polonie ob metum pestis nudius quartus hinc discessit, quam Regia Maiestas consequetur. Sabbato proximo nos, lurcones, interea perpotamus... Datum Craccovie 5^{ta} die Septembbris, 1527.

Minimus servorum

Ioannes Szamboczski

1) Ostrogski.

Bolemów, 3.XI.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de litteris ducis sibi per consiliarium ducis, Eck a Reppichaw, sibi allatis nuntiat; de bona ducis et ducissae valetudine, tempore pestis Regio-

monte saevientis, gaudet; de suo cum Reppichaw, ad regem [Sigismundum I] misso, colloquio refert; mittit varia exempla litterarum cum novis ex pluribus regionibus, praesertim de rebus Hungaricis, allatarum.

Sigill.

(Cum annexis exemplis litterarum:

1. *Gulielmi Truchsess ad Szydłowiecki, 22.VIII.1527.*
2. *regis Ferdinandi ad Szydłowiecki, 22.VIII.1527.*
3. *Gulielmi Truchsess ad Szydłowiecki, 26.VIII.1527.*
4. *Antonii Fugger ad Szydłowiecki, 22.IX.1527.*
5. *regis Ferdinandi ad Szydłowiecki, cum summario germanico, 5.X.1527.*
6. *germ., Caroli Kuczer ad Szydłowiecki, 5.X.1527.*
7. *Francisci de Frangepanibus et Stephani Broderici ad regem Poloniae, 9.X.1527.*
8. *germ., Caroli Kuczer ad Szydłowiecki, 14.X.1527.*
9. *germ., Michaelis Spies ad Szydłowiecki, 22.X.1527.*
10. *germ., Michaelis Spies ad Szydłowiecki, 25.X.1527.)*

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Cum essem apud oppidum Opoczno, profiscens ad Mazoviam, convenit me ibi Nobilis et Generosus Dominus Ekius, Nuncius et Consiliarius Illustrissimae Dominationis Vestrae, vir et virtute sua et bene gerendis rebus prudens commendacioneque Illustrissimae Dominationis Vestrae mihi charissimus.

Is reddidit mihi litteras eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae et narravit eam cum suis omnibus rectissima frui valitudine esseque illam inter nemora et venaciones ob hoc, quod Montis Regii pestis viget.

Dici non potest, quanta laetitia affectus sum, quod Illustrissima Domina Vestra cum sua Illustrissima et amantissima coniuge ac dulcissimis liberis optima potitur valetudine et a Monte Regio, civitate peste infecta, in remotissimis agit. Ad quam ne festinet redire, vehementer rogo et obsecro.

Memineritque illius, quod schola medicorum in ore habet: cito, longe, tarde. Hoc est: cito fugere, longe fugere, tarde redire. Nullumque presencius remedium habetur contra pestem ac tucius quam hoc. Sed de hiis satis.

Lectis autem litteris Illustrissimae Dominationis Vestrae, vidi et legi instructiones, Domino Ekio datas. Collocuti sumus mutuo in multam noctem, nam tardissima hora comedimus. Vidi omnia illa, cum quibus misit Illustrissima Dominationis Vestra ad Sacram Regiam Maiestatem, non possumque nisi ea vehementer commendare. Verum hoc me male habet et doleo plurimum, quod neque ego, neque Reverendissimus Dominus Episcopus Cracoviensis¹⁾ in presens non sumus apud illius Maiestatem, quandoquidem nobis presentibus omnia illa et alcius spenderentur et diligencius tractarentur. Monstravi tamen iter Domino Ekio ad ineundum munus Legacionis suae. Scripsi insuper diligentissime Sacrae Maiestati Regiae, ut Dominum Ekium semotis arbitris, excepto uno secretario, benigne audire dignaretur. Aliam vero secreciorem significacionem sola Maiestas Regia, omnibus semotis, audiet. Ad eundem eciam Dominum Secretarium scripsi, commendando ei Dominum Ekium et negotia Vestrae Illustrissimae Dominationis. Spero et non dubito, quin cito expedietur et bene. Nam illa, in quibus misit Vestra Illustrissima Dominationis ad Regiam Maiestatem, sunt sancte et synceriter concepta ac significata.

Agoque et habeo ego maximas gratias Illustrissimae Dominationi Vestrae, quod talia praemeditatur. Exigit enim hoc condicio presentium difficultorum temporum. Sed de his omnibus mallem coram, quam litteris agere. Aperui tamen mentem meam Domino Ekio, ex quo omnia cognoscere dignabitur.

Scio, quod Vestra Illustrissima Dominatio conturbabitur ex obitu Illustrissimi Domini Cazimiri Marchionis, fratris sui charissimi, tamen illam plurimum rogo, temperet affectus eiusmodi. Sic enim omnes nascimur, ut moriamur. Non ago multis verbis in hoc genere consolacionis cum Illustrissima Dominatione Vestra, quia scio illam prudentissimam et non egere in hoc consilio aliorum.

Nova, quaecunque ad me hiis proximis mensibus et diebus venerunt, eorum omnium exempla secundum datas litterarum mitto Vestrae Illustrissimae Dominationi. Ex quibus omnia intelliget, que aguntur in Regno Hungariae. Scribit eciam mihi Serenissimus Dominus Rex Ioannes, cuius litterarum misissem exemplum, sed premisi a me secretarium meum Pyotrkoviam, apud quem illas litteras habeo. Video tamen, quod multa neglexit Rex Ioannes. Priusquam annus excurrit, quatuor Reges in arce Budensi constituti erant: Rex Ludovicus, Imperator Thurcarum,²⁾ Rex Ioannes et Serenissimus Dominus Rex Ferdinandus... Datum in Bolemow, tercia die mensis Novembris, anno Domini MDXXVII.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitanus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

a) manu sua. b)

a)-b) *manu propria.*

2) *Solimanus II.*

1) *Petrus Tomicki.*

Annexum I: Gulielmus Truchsess ad Christophorum Szydłowiecki, 22.VIII.1527.:

Spectabilis etc.

Si Vestra Spectabilis ac Magnifica Dominatio valet bene, quod equidem vehementer opto, recte est. Serenissimus enim Rex meus¹⁾ ac nos omnes, eius servitores, valemus bene idemtide scimus esse de Serenissimis Regina²⁾ ac Principe³⁾ nostris. Ceterum, quia Vestrae Spectabili ac Magnifica Dominationi gratum fore scio, si eidem nostre milicie rationem dederim, paucis rerum successum in his perstringam.

Ab Haltenburg,⁴⁾ unde ad Vestram Dominationem scripsi, Serenissimus meus Dominus cum isto suo felici exercitu profectus est secunda die presentis mensis, omniaque loca, castra et oppida obvia Hungarie sue dicioni et obedientie subiecit, partim quidem ultro sese offerencia, partim vero vi et potentia armorum compulsa sunt. Namque arces ille ad ripam Danubii, que tam arte quam natura locorum inexpugnabiles, nisi longa obsidione, credebantur, etsi satis strenue sese tueri nosque crebra sue artiglierie iaculacione propellere voluerunt, mirum dictu est, quam intra breve tempus custodes earum, videntes menia tormentis nostris undique quassata et diruta, et iam iam milites nostros undique prorumpere certentes, clemenciam ac misericordiam Domini mei implorare coacti sunt. Quam etiam in tam perduto rerum statu adeo facilem, adeo promptam invenerunt, ut omnes incolumes relicti sint.

Hoc igitur modo iter nostrum usque ad tria miliaria a Bude urbe

continuavimus. Quo venimus XVIII huius, ac Vaywoda,⁵⁾ qui tunc Bude agebat, tam celeri adventu nostro perculsus, frustratum se videns spe sua, quam in menibus munitissimis aut morandi aut avertendi nos posuerat, cum pauca manu gregariorum urbe fugiens, Danubium, ac ut fertur, non sine lachrimis tranavit moratusque fuit eo die in Peste, sed ipsa eadem nocte clam et longe sese reduxit. Maiestas vero Regia Budam, que iam diu sese dediderat Sue Maiestati, XX die presentis hora circiter X diei intravit, auditaque solenniter in ecclesia maiori re divina, in arce Budensi transiit, et vespere ad castra ista sua, que dimidium miliare ultra prefatam civitatem prope ripam Danubii sita sunt, pernoctatum rediit. Non enim silencio pretereundum esse existimo complures populos, falso Waywode suasu, qui incredibilia mala, nefandas atrocitates ab isto exercitu in Hungaros perpetrari asseruerat, territos ad montes et saltus, more ferarum, confugisse. Verum ubi pacem, pietatem et iusticiam summam a nostris in subditos Sue Maiestatis servari compererunt, omni eorum formidine in odium Waywode versa, leti cum familiis ad domos suas redeunt. Quicquid autem novi aliud successerit, curabo significare Vestre Spectabili et Magnifice Dominationi... Datum in castris ultra Budam, ut prefertur, XXII Augusti, MDXXVII.

Eiusdem Magnifica Dominationis Vestrae
totus Wilielmus Druxes, Sacri Romani Imperii Dapifer, heredi-
tarius Waro in Walpurg, Serenissimi Regis Hungarie et Boemie
Magister Magnus.

1) *Ferdinandus.*

4) *Altenburg in Hungaria.*

2) *Anna Jagellonica.*

5) *Zapolya.*

3) *Maximilianus*

*Annexum II: Ferdinandus rex Bohemiae ad Christophorum Szydłowiecki,
22.VIII.1527:*

Ferdinandus, Dei gratia Hungarie, Bohemie etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc., Marchio Moraviae etc., Comes Tiroli.

Illustris, sincere dilecte.

Cum die XXX mensis Iulii proxime elapsi ex civitate nostra Vienna cum reliqua exercitus nostri parte ad Regnum nostrum Hungarie destituissemus²⁾ et ad confinium Regni predicti applicuissemus, adfuere illico Prelati, Proceres et Nobiles eiusdem Regni, qui nos velut Regem legitimum Hungariae sollemni more et reverenter exceperunt, a nobis in persona nostra solitum iuramentum suscipientes. Alteras igitur, quas nobiscum adduxeramus, exercitus nostri copias alteris, quas iam pridem ad castrum Dewen¹⁾ et Posoniense simul et Tirnawiense, iam a nobis per dedicationem acquisita, premiseramus, coniunximus. Proximaque inde nostra fuit ad castrum et oppidum Iauriense profectio, quorum utrumque se nobis reddidit. Quibus acceptis, nostra deinde ad castrum Comaroviense fuit transitio. Quod cum repugnare conaretur, tametsi longe munitissimum et ultra Danubium situm oppugnacioni incommodissimum fuerit, intra sex plus minus horarum spaciū vi tormentorum bellorum ad eam deformitatem et ruinam pene redigimus, quam arx tam bene sita ac munita vix accipere posse credebatur. Hoc idem, visa rei magnitudine et armorum potentia, se tandem in gratiam et simul indignacionem nostram obtulit. Sic eciam a nobis acceptum.

Perreximus insuper ad castrum Thata, quod itidem se nostre potestati reddidit. Reliquum iter postea versus Strigoniose oppidum et castrum

instituimus. Civitas iam antea nobis per dpcionem oblata, sed castrum se nullo modo decreverat statueratque reddere. Quod nos eius diei parte pomeridiana, qua applicueramus, obsedimus tormentisque levioribus et expeditioribus oppugnavimus, donec per noctem graviora et validiora admoverentur, quorum vi intra medium vix diem pariter idem obedire coegimus.

Castrum vero et opidum Wisschegradense se quoque nobis reddidit. Deus item Optimus Maximus nobis, licet immeritis, favens usque ad Regni nostri sedem, Budam, quam et in potestatem quoque nostram accepimus, conducere dignatus est. Cui ut semper laudem et gloriam in actionibus nostris dedimus, ita nunc quoque gratias illi summas agimus et habemus, quod hanc expeditiōnē nostrā adiuverit et feliciter hactenus, citra ullam sanguinis effusionem, succedere voluerit. Nos ubi Comes ille Scepsiensis advenire et sibi appropinquare vidit, saluti sue fuga consulere incepit, quam adhuc continuat, nobis insciis, ubinam locorum agat. Certissimo tamen accepimus nuncio illi circiter bis mille et quingentos homines ad summum esse. Nos vero illum gentibus nostris, ubicunque poterimus, insequemur et dignis modis tractabimus. Que omnia, si bene monentibus et suadentibus nobis acquevisset, intermissa fuissent... Datum in castris nostris ad civitatem nostram regiam Budam, infra Pesth positionis, die XXII mensis Augusti, anno Domini MDXXVII, Regnorū nostrorum primo.

Vidit Harrach Cancellarius.

Ferdinandus.^{a)}

a) subscriptio manū regis Ferdinandi imi- z) sic in ms.
tatur. i) Dévény.

*Annexum III: Gulielmus Truchsess ad Christophorum Szydłowiecki,
26.VIII.1527:*

Spectabilis etc.

Ex litteris Magnificencie Vestre, quas attulit Nobilis Rudolphus Gersdorff, intellexi meas illi nondum redditas esse, in quibus successum belli huius et res faciliter a Regia Maiestate¹⁾ in hoc Regno gestas abunde perscripsi. Bona spe sumus Serenissimum Regem nostrum, Dominum meum graciosissimum, iam adepta regali sede, cetera quoque huius Regni sine crōre consecuturum. Ceterum, gratissima fuit Sue Maiestati obsequiorum Magnificencie Vestre adeo prompta ac voluntaria exhibitio et exoptata felicitas diuturna. Agnovit in eo mentem eius synceram atque animum optime institutum. Et cum hoc Regnum, ut exploratissimum est Magnificencie Vestre, iure optimo Serenissimo Domino meo debeatur, nisi Comes Scepsiensis eo occupato exhibuisset negotium repetendi, pulcherrima nunc erat occasio invadendi Turchas iam, ut fama est, a Persis bis fusos. Atque (quod maxime in votis est) si non perrexerit predictus Comes Regis nostri propositum longe optimum turbare, collectis satis iustis copiis in sequenti anno, simulatque res Regni fuerint paccate, Turcarum fines alacres ingrediemur.

Quocirca Magnifica Dominacio Vestra incredibilem graciam inibit cum a Rege nostro Serenissimo, tum a Deo Immortali, si apud Serenissimum Dominum suum adnixa fuerit, ut Sue Maiestatis consiliis et authoritate Comitis iniusti conatus refrenentur, quominus pulcherrimo proposito ac Christiane Reipublice salutari ille ulterius obstare arguatur. Faciet in hoc Magnifica Dominacio Vestra rem se ac christiano viro dignam et a Serenissimo Domino meo gratissime agnoscendam. Postremo, quod ad me spectat, vicissim imprecor Magnificencie Vestre fausta et fortunata omnia. Quam cum Serenissimo Domino Rege suo Deus Im-

mortalis in perpetuum feliciter et diutissime incolumem tueatur. Cuius Maiestati fidelissimam operam meam omnibus in rebus obsequenter ofero meque eidem penitus dedo eidemque a Magnificencia Vestra cupio officiose commendari. Datum in castris regis apud Budam, XXVI Augusti, anno etc. MDXXVII.

Posteaquam hec essent scripta, commodum advenit nuntius, unus ex meis subditis, qui certa nunciavit de Helvetiis, qui descenderant ex Alpibus, laturi opem Venetis a Cesarianis, qui in presidiis Mediolani fuerant, fusis et cesis. Desiderata fuerunt in eo conflictu tria Helvetiorum millia, complures capti. Commissum vero prelum est Calendis Augusti. Imo fama vera de maiori parte cesa ex VII milibus.

Eiusdem Magnifice Dominacionis Vestre
Wilhelmus Henricus, Dapifer Sacri Romani Imperii
ac Baro in Valtzburg, Serenissimi Regis Ungarie et
Bohemie Magister Curie etc.

1) Ferdinandus.

Annexum IV: Antonius Fugger ad Christophorum Szydłowiecki. 22.IX.1527.

Magnifice etc.

Scripsi Magnificaes Dominationi Vestrae die preterita huius mensis et interim ex Italia nobis redditae sunt litterae, que indicant classem Regis Galliae,¹⁾ cui presidet Andreas Doria, qui antea Sanctissimo Domino Nostro Pape²⁾ servierat, tanta vi obsedit Genuam, ut duo³⁾ one-rarias naves, quas charachas vocant, frumentis onustas et ad eam urbem cibandam profectas, ipsis Genuensibus abstulerit. Fueruntque simul in ea profectione quedam naves Cesaree similiter direptae. Postremo capta est urbs expugnataque arx, quam appellant del Borgo, in qua mille quingenti milites Germani et Hispani presidia tenuerant, omnes nudati vestibus, hii insuper cesi, illi in graciam et servicia recepti.

Nostri ex Mediolano sedulo opem poscent litteris, frustra tamen, ita ut timendum sit, quando nullum suppetat auxilium, Mediolanum deserturos Cesareanos et Bapiam⁴⁾ sese recepturos, id quod ad conflictum futurum pertinere videbitur. Porro, quod novissime scripseram de pace Legatos diligentissime tractare, in Hispania nimirum impediri poterit presentibus rebus gestis.

Ceterum, quod scripseram Magnificaes Dominationi Vestrae de Cesareano exercitu, qualiter Mediolanum proficisceretur, et de Sanctissimo Domino Nostro Papa Neapolim ducto, iam ex aliis litteris de data XVI Augusti ex Urbe clarius docemur, copias videlicet illas adhuc inter Nar-niam et Teraniam consistere, et Pontificem in Arce Sancti Angeli manere. Non enim abire lubet militibus, nisi pendantur debita stipendia, et Pontifex non habet quo exolvat. Quanquam consilium quidem ceperint illum Neapolim ducendi, verum classis Venetorum iam Gallicae coniuncta est, et ex Veneciis scribitur utramque Neapolim contendere, ita ut bella Italie haud quaquam videantur iam longo tempore sopiri posse. Rome et Florencie adhuc plurimum grassatur pestilencia. Si quid denuo emer-serit, diligenter Magnificaes Dominationi Vestrae indicabo... Felicissime valeat Magnifica Domatio Vestra. Ex Augusta in Vindelicis, die XXII Septembris, anno MDXXVII.

Magnificentiae Vestrae deditissimus
Antonius Fugger subscripsit.

z) sic in ms.

1) Franciscus I.

2) Clemens VII.

*Annexum V: Ferdinandus rex Bohemiae ad Christophorum Szydłowiecki,
5.X.1527.*

Ferdinandus, Dei gratia Hungarie et Bohemie etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie etc., Marchio Moravie.

Illustris, sincere dilecte.

Scribimus in presentiarum Serenissimo Principi Domino Sigismundo Regi Poloniae, Magno Duci Lithuaniae ac Russiae Prussiaeque, fratri et sororio nostro charissimo, de parte per nostros nuper apud oppidum Tokaj victoria. Et quamvis pro indubitate habeamus litteras nostras in manus vestras deventuras, visum est tamen nobis vos quoque de ea admonere. Cuius summa hec est.

Ioannem Comitem Scepusiensem, quondam Waywodam Transilvanensem, die XXVII mensis Septembris proxime elapsi sub diluculum vel paulo prius, cum nostris apud oppidum Thokay proelium commisisse. In quo cum exercitus noster valida manu resisteret adeo, quod hostes e castris in fugam versi fuerint, complures Waywode milites, inter quos non ultimi nominis Maria Lucas duoque Capitanei Poloni interierunt. Cum itaque diesceret, universa equitum nostrorum levis armature cohors ad speculationem et praesidia montium collocanda missa. Quibus plures ex hiis, qui a prima pugna aufugerant, obviam facti, sunt intercepti. Quo facto Nobilis, fidelis nobis electus Nicolaus Comes de Salm Senior, Capitaneus noster Generalis, fidem nostrum dilectum Eckium de Reischach, manipulo gregariorum peditum adjuncto, ad castra Waywode misit. Qui sic procedens, quos in castris repperit, occidit. Ceteros in profluentem Thissiam precipites dedit, deinde castrum Thokaj 400 peditibus, munitionibus, artellaria aliisque rebus necessariis provisum reddi petiit. Qui, spreta deditione, se crebris tormentorum ictibus contra nostros defendere sunt conati.

Sed cum Capitaneus noster antedictus cum eodem Eckio consilium iniret, quoniam modo castrum illud subigere vellent, accidit ignem forte per inadvertitiam eorum, qui in tuitionem castri positi fuerunt, in pulverem tormentarium delabi, qui fomento accepto latius serpore^{a)} cepit, et denique omnes fere in eo existentes suffocavit. Reliqui a nostris trucidati. Waywoda, hiis visis, et quod plerique ex suis, maxime agrestium colluvies et Poloni, quos penes se habebat, deserta montium loca cursu peterent, cum aliquot equitibus Thissiam ponte transiit. Quem subito post se deiici fecit, quod ceteros transitu prohibuit et in ingruentium militum nostrorum manus detrusit, partim ab eisdem occisos, partim in Thissiam per praeceps devolutos. Complures alii, periculum evadere cupientes, commune malum in fluvio sunt experti.

Preterea heri allatum est ad nos Nuntium, Comitem Christophorum de Frangepanibus, qui magnum exercitum contra nos in Regno nostro Sclavonie congregaverat, a gentibus nostris, quas in eodem Regno habuimus, apud civitatem Warasdinam ictu unius sclopeti periisse, exercitumque eius esse dissipatum. Quod pro ea, qua vos gratia complectimur, et maxime persuasum habemus, quod rerum nostrarum et Serenissime Domus Austriae foelicem successum ac earundem incrementum atque incolumitatem ex animo desideratis, vos latere noluimus. Datum in arce nostra regia Budensi, die quinta mensis Octobris, anno Domini MDXXVI¹, Regnorum vero nostrorum primo.

Ferdinandus.^{a)}

Ioannes Maius.

^{a)} subscriptio imitatur manum regis Ferdinandi.

^{z)} sic in ms.

Annexum VI: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki, 5.X.1527.

Magnifico Domino Cristophoro de Schidlowicz, Castellano et Capitaneo Cracoviensi, Regni Poloniae Cancellario etc.

Eyr Genad wist, das sein her ken Wien khomen brieff von Doctor Wenczel, so er ken Behem schreybt. Der datum ist am 3. Octobris.

Item er schreybt, wie des konigk von Hungern volk hat des konigks von Behem angriffen an dreyen ortern und fast gewaltiglich und ym das geschucz mit gewalt abgeloffen, das darnach der reysig zeug mit gewalt wider abgedrunnen. Darnach ist der graff Nicklas¹⁾ mit den fusknechten yn sy gefallen und yn dy flucht bracht.

Item er schreybt, das bey 2000 Hungern auf der balstat bliben und yr vil dertrunken und das auf des Ferdinandus seyten sein yr über 80 mit todt bliben. Derunder ist bliben todt der her Pileczky von schloys von Tokey mit einer puchsen derschossen; es klaget yn yderman, Got sey ym genedig.

Item furter schreybt er, wie sy den Hungern al yr wagenwurkg genommen, über 400 wegen und 9 grosse stucke und zwelf kleyne puchsen, undwie der konig von Hungern sey gewichen mit 200 pferden auf dy Lippa zu und wie des Ferdinandus volk zeucht zu auf eyn schloys, heyst Thala.

Ewr Gnade wist und glawbt es vor ein warheyt, das der graff Cristoff²⁾ hat beyeinander gehabt bey 806 pferdt und bey 6000 pawern, ist gezogen vor ein stat, heyst Waradin ym Windischen landt der konigen Maria, und dy stat eingenomen; das schloys yn der stat hat er nit konen einnemen. Do ist er selbst zu sturm gangen am 29. tag Septembris, mit eyner puchsen auf dem schloys derschossen und dyselbige studt todt blyben; also ist seyn volk als zu streyt wider heim zigen.

Item aus der Steyrmargk, Kernten und Kronlandt seyn auf gewesen wider denselben graff Cristoff zu ziehen mit 5000 wolgerust, dy ziehen yczt yn sein landt und nemen es eyn.

Aus Welischem landt, datum aus Ferraria am 20. tag Septembris.

Item der babst³⁾ ist noch zu Rom und nie heraus gefurt, leyt auf der Burgk Angeli; es hutten yn 500 Spanieler und 500 knecht.

Item sy wollen haben von dem babst 4 mal hundertawsent ducaten; gebe dy summe geldes wer do wil, dem wollen sy yn geben, es sey der Franzos ader Wenediger. Dem keyser⁴⁾ wellen sy yn an gelt nit geben.

Es leyt yn des babst landt bey Ancona und daselbst umb 22000 Spanieler und lanzknecht beyeinander. Der keyser yn gegeben den vicerex aus Neapolis⁵⁾ zu einem hewptman, den wollen sy nicht haben und tharunter sy nicht. Si wollen haben den herzog von Ferraria.⁶⁾ Der wil es nit seyn, er furcht, er müsst darnach zallen, was man den knechten schuldig sey. Und also haben sy yr 12 aufgeworfen, unter yne 6 aus Spanieler, 6 aus Dewtzen, dy regyrens.

Gross teyrung ist zu Rom, ein henne umb eyn ducaten und eyn steyr weycz umb 6 ducaten.

Der konigk von Franckreich⁷⁾ hat eingenomen Genua und Alexandria und zeucht zu auf Meylandt, doraus alle dy purger wegk seyn. Des keisers volk ist bey 5000 zu Paphia. Es ist zu forchten, das yn dy von Rom nicht zu hilf kommen also balt; sy seint reiche und haben gross guth.

Des koniges von Franckreich und Engellandt⁸⁾ potschafoten sein yn Hispania; und ist dy rede, das sol ein ewiger fryd werden und der babst wider yn sein regiment gesezt.

Wist Ewr Gnade, das der Ferdinand hat ein rakosch lessen ausruffen, das yderman sol sein den 15. tag nach Michaelis. Wer da nit wirt sein,

dem wil er al sein gut nehmnn. Und hat sich angefangen den ersten Octobris, und khomen vil Hungern eyn.

Item er hat lossen machen ein brucke über dy Thanna auf schiffen, das man mit wegen dorüberfart.

Es ist heyt eyn warhaftige potschaft heraus dem heer khomen, das do leyt vor Trencz, wie sich des Ferdinandus hewptman geschlagen mit den hewptleuten, so auf Trenzin seyn, mit namen Pan Hincka und Thomas Slesinger; dy haben gehabt bey 5000 pawern, also do Ferdinandus hewptman wider sy geschossen, und do sein dy pauern al entloffen zu des Ferdinandus hewptman, dem Kazianner, und haben sich all dergeben, und weren yre hewptleyt nit entlassen. So hat er sy al derschlagen. Datum zu Wien, 5 Octobris, anno 1527.

Carel Kuczer.

1) *Nicolaus a Salm.*

5) *probabiliter Hugo de Moncada.*

2) *Christophorus de Frangepanibus.*

6) *Alphonsus I.*

3) *Clemens VII.*

7) *Franciscus I.*

4) *Carolus V.*

8) *Henricus VIII.*

Annexum VII: Franciscus de Frangepanibus et Stephanus Brodericus ad Sigismundum I, 9.X.1527.

Sacra Regia Maiestas, etc.

Venimus huc Leopolim ex voluntate Regie Maiestatis Domini nostri¹⁾ gratiosissimi. Unde recta ad Vestram Maiestatem profecti fuissemus, sed expectamus adhuc a Maiestate Regia certas instructiones. Que ubi advenierint, statim iter nostrum versus Vestram Maiestatem prosequemur. Quo in statu sint res Maiestatis, licet existimemus nihil Vestram Maiestatem latere, duximus tamen et ipsi que nobis constant Vestre Maiestati facere nota. Eo tempore, quo nos a Sua Maiestate, in castris prope oppidum Mohy existente, sumus digressi, exercitus Regis Bohemie a castris Sue Maiestatis non procul distabat. Certiores postea facti sumus primum de prima nostrorum militum levis armature in castra hostium irruptione noctu facta, ubi plurimi hostium cesi, multi etiam capti et ad Maiestatem Regiam perducti fuerunt. Commeatus, quem Rex Bohemie suis mittebat, intercepimus fuit.

Non multis deinde interiectis diebus, certiores sumus facti, tunc cum iam nos itineri versus Vestram Maiestatem accingeremus, nostros rursus^{a)} in castra hostium, que iam non nisi medio miliari a castris regiis ad Tokay in ripa Ticie positis distabant, nocturna irruptione facta, ingentem ibi stragem edidisse, Capitaneo Regis Bohemie, ut intelleximus, uno potiore, in ipso tentorio oppresso atque imperfecto, tormentis bellicis per nostros, qui irruptionem fecerant, in terram projectis, ut hosti tunc usui nequam esse possent, denique hoste illo impetu ita non solum consternato et afflito, sed pene in totum oppresso, ut victoria in manu nostrorum fuerit. Et hostis fugam iam sine dubio meditaretur, nisi nostri, nescimus adhuc quo consilio aut qua subita de causa, sese in castra hostium recipere cepissent. Quo viso hostes, resumpto paululum animo, cum ad castra regia cum tormentis bellicis et universo apparatu contendere cepissent, Maiestas Regia non sibi cum hoste, presertim tormentis bellicis adeo bene instructo, manus temere conserendas rata, sed satius esse existimans auxilia Transilvaniensia Transalpina aliorumque locorum in loco securiore expectare, cum per fluvium Ticie, quem ob similem necessi-

tatem, si qua forte ingrueret, ponte fecerat iungi, exercitum traduceret, pons fuit interceptus opera, ut intelleximus, ac fraude unius ex captivis Germanicis, ad exhausti aquam e navibus, que pontem sustinebant, adhibitis, qui unam ex navibus illis perforaverat.

Rupto igitur ponte, aliqua pars exercitus regii, que nondum fluvium transiverat, maxime rustici, qui circum ea loca habitantes arma et ipsi capere fuerant iussi, fluvium traicere nequivere. Quos tamen et ipsos intelleximus manus hostiles magna ex parte evasisse copiasque regias, pressertim equestres, omnes esse salvas. Res, ut ab illis, qui rem oculis viderant, et a Domino etiam Ioanne Statio, qui ad nos diverterat, accepimus, in hunc modum se habet. Que quamvis non multum dubitaremus ad Vestram Maiestatem perlata, voluimus tamen eidem hiis etiam nostris litteris significare, que dignetur, pro suo singulari in Serenissimum Regem Hungarie, filium suum, Dominum nostrum gratiosissimum, amore ac pietate, ita rebus illius consulere, ut ille possit consilio, prudentia, auctoritate, ope Vestrae Maiestatis Regnum sibi et Vestrae Maiestati in colume conservare et ab hostibus defendere.

Nos, ut premisimus, nunc hic Leopoli, quo heri apulimus, expectamus a Maiestate Regia novas instructiones. Que ubi advenerint, iter nostrum versus Vestram Maiestatem continuabimus... Ex Leopoli, 9 Octobris, anno Domini millesimo DXXVII.

Vestre Sacratissime Maiestatis
servitor et humilimus capellanus
frater Franciscus de Frangepanibus
Stephanus Brodericus Secretarius.

a) sequitur verbum expunctum: noctu

1) Zapolya.

Annexum VIII: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki, 14.X.1527.

Grosmechtiger herr.

Ewr Gnade wist, den zehnden tag Octobris hat der Ferdinand den ganz rakosch beruft und hat lossen machen ein maiestet auf dem Samett hoffe. Und do sein gewesen alle Hungern herren und edelewt, und also hot der gross graff anheben zu reden wol ein stundt. Und darnach ist der bischoff von Fesbrin auch eyn stundt gerett. Und darnach ist der Ferdinand herfurgetreten und hat lateynesch wol ein halbe stunde gerett mit den Hungern und hat in gesagt, das dy Hungern ein verdriss an in hetten, das er nicht ein Hunger wer, sunder er sey aus dem blutt, dy vor konig in Hungern weren gewessen. Es weren wol zwene aus dem hause von Osterreich konig in Hungern gewessen, und aus demselbige blutte sey er. Und dy haben wol geregirt. Und hat in gesagt, wy er sy vor ydernenniglich besiczen will und will in das landt gar wider gewynnen, was sy an Thurcken verloren hetten. Also haben dy Hungern, arm und reich, geschrien: Wir wellen dich zu ein konig haben und keyn andern. Und haben baldt aus iren mittel auserwelt ire vier hern. Dy sollen nach der kron ziehn und habens versprochen, das dy krone in achttagen sol zu Offen sein, und wellens im überantworten.

Item Ewr Gnade wist, das das hoer, das vor Tokay gewessen, das ist wider zuruckgezogen, der reysig zewg ken Offen, und der graff Nicklis von Salm mit lanzknechten ist gezogen ken Boczen, vier mayl von Offen.

Item der graff von Salm hat ein Karwatt mit namen Karlowitz mit tausent pferden bey Tokay gellossen.

Item sy sagen, das der konig von Hungern sey umb Drobicz herumb und sammelt sich wider, sunder sy sagen, das meystet von im wegg zihen. Also wes ich nicht, ist es wor.

Item ich hore sagen, hetten dy Hungern ein wenig nachgedruckt bey Tokay, und das schloss nicht brynen wer worden, dy Dewczen hetten not leyden mussen, sy hettens schir übersehn.

Item Ewr Gnade wist, das dy zuw konigin, Maria and Anna, beyde zu Wien ausgefahren wol mit 30 schiffen.

Item als ich Ewr Gnaden vor geschriben hab, das groff Kristoff gewiss derschossen ist und sein folk gar zurtrent. Und iczundt seyn dy Steyerr auf und man hot von Wien auch zwetausent knechte hineingeschickt auf seine gutter, dy hat man das meyste schon eyngenummen, und das Windisch Landt, das holdiget gar der Ferdinand.

Item der Kaczianer, der nimpt umb Trenczin auch vil schlesser ein, er hot dy woche ein fest schloss eingenommen bey Selinn,¹⁾ und heyst Slabne. Do ist nymandt, der do wert.

Item, Genediger herr, zeutung aus Welisch Landen. So wist, das der bapst gewiss nach zu Rom ist und des keysers folk leyt umb Rom herumb, und wellen nicht wegg zihen, denn man gebe in gelt. Man schreibet in zu, sy sollen auf Meylandt zu. So wellen dy nicht, man gebe in gelt.

Item Ewr Gnade wist, das des konigs von Francreich²⁾ leyt umb Meylandt. Und wirt man nicht zu hülfe kommen den Meilandern, so ist zu besorger, er nem das landt ain, aber das schloss Meylandt ist wol beseczt.

Item in Welisch Landen überall grosse pestilenz und teurung, es ist wider wayn noch brott gewachsen.

Item es ist heyt dato ein wall kommen; der sagt, das der bapst wider ledig sey, und sagt, des keysers volk ist zweundzwenzig zu fuss und ross und zihen auf florencz. Also weys ich nicht, ist es waer ader nicht.

Item do ich den briff habe wellen zumachen, so ist kommen der von Schomberg, der iczundt zu Kroke ist gewessen, bey koniglicher maiestet von Offen kommen. Der sagt, das der Perenn Pettr sey einkommen den 12. tag Octobris ken Offen. Und also hat konigliche maiestet und dy ganze rakosch von im gefordert dy kron. Also hot er gesagt: So konigliche maiestet und ire dy ganze lantschafft habet erwelt den Ferdinand zu eynen konig nach ordnung der Hungern statut und ire dy ganze rakosch welt haben, das ich dy kron sol geben, so will ich sy geben. Und also sein eczliche hern mit ym gezogen nach der kron, dy sollen sy ken Weyssenberg bringen. Und gewiss sol man den Ferdinand kronen auf sandt Symonis und Jude tag. Also sagt der herr von Fronschberck, das dis gewiss waer sey.

Karell Kuczer.

1) recte germ. Sillein, slov. Zilina.

2) Franciscus I.

Annexum IX: Michael Spiess (Spys) ad Christophorum Szydłowiecki, 22.X.1527:

Magnifico Domino Cristophoro de Schidlowicz, Castellano Cracoviensi, Regni Poloniae Cancellario etc.

Grosmechtiger her.³⁾

Wie sich dy schlacht bey Thokey ergeben mit den Hungern und Behem, Ewer Gnade zweyfelsonder hat gutten bescheydt dorvon. Aber ich höre, wie dy Dewtzen grosser schaden yn gutten und tapfern lewten

genomen dan dy Hungern. Da nun aber dy Dewtzen Tokey, das schloys Thal, Regecz,¹⁾ Boldoky²⁾ eingenommen, do sein sy gestrackts nach Offen gezogen, wo yr den nicht ein wenig, Wie ich berycht, an der rotten ruer gestorben, wie auch der groff Nicklas von Salm ser kranck ist blyben zum Myschkolcz³⁾ auf dem schloys Dissiercz. Man weys nit, ab er wirt geniessen ader nicht. Von dem todt des herrn marggraffen Casmire von Brandenburg hat man mich zeytlich vorkundiget, aber ich das nit gelawbt. Dorumb ich das nit hab thuen vor gewyss schreyben, ab der graff Nicklas auch solt todt seyn; das wirt man kurzlich yn werden.

Von graff Cristoff man mir yn ezlichen briffen schreybt, wie er mit dem Tahy Janusch solt ausgezogen sein nach Waradin zu. Man sagt, wie er daselbst dy stat erobert und darnach zu dem schlois selbst zum sturm gegangen und daselbst solt er derschossen sein, das den zu klagen wer. Der Thahy Janusch ist ein geschickter kriegsman sunder zweyfel, er wirt mit dem volk thuen, was ym zu thuen gepyren wirt.

Man schreybt mir, wie das volk des behmischen kenigk solt bey Offen geschlagen sein. Ydoch so schreib ich das Ewer Gnaden nit vor gewyss. Ich hab da selbst zwen potten, dy ich alle studt gewartend bin, von den ich was gewiss erfarn werde.

Der her Heynrich von Horany⁴⁾ mir schreybt, das sy Likaw hetten belegt.

So schreybt man mir, wie sy von Likaw wider abgezogen, und also, so dy Dewtzen nach Offen gezogen und dy anderen von Likaw, so muss es etwas umb Offen sein geschehen.

Man schreybt mir gewislich, das man Trencz belegt das den wol vorwart ist. Das ich Ewer Gnaden gruntlich solt schreyben, wo der konig von Hungern sey, das kan ich auf dysmal nit wissen. Man sagt, das sein gnade solt nit ein kleyn anzal volk^{a)} haben; man schreybt mir auch, wie sych die Polhen yn dem obgemeltem scharmiczel rytilich und manig geschlagen. So ich was gewissers erlangen werde, wil ichs Ewer Gnaden eylent wissen lassen...

Gegeben zu Stczebin, 22 Octobris, anno Domini MDXXVII.

Michel Spys.

a) *supra lineam.*

3) *Miskolc.*

1) *Regéc.*

4) *Horányi.*

2) *Boldog.*

Annexum X: Michael Spiess (Spys) ad Christophorum Szydłowiecki, 22.X.1527.

Grosmechtiger und genediger her.

Man schreibt mir, wie dy grossen stehte, als nemlich Kaschaw und ander mer, sich dem konig Ferdinandus ergeben, und wie dy kronung solt auf Simonis und Jude negst kunftig werden; wo der gemeyn adel und dy ganze landschaft mit sampt den steten solen holdigen und dy pflicht thuen. Es wirt mir auch geschrieben, wie zu dem behmischen konig der Pereny Petr mit 2000 pferden^{a)} khomen ist und sol dy kron bringen. Vom konigk Januss horet man gar nichts, wo seyn genad ist.

Der Rencziny Miklasch,¹⁾ der von dem Czipsenhaws wardt gezogen, hat wider umbgekert zu dem schloys Trencz, das ist stark begert. Auf dyse zeyt hab ich nit bessere zeytung, dy ich den nit gern schreyb, so muss ich doch dy schreyben... Datum zu Stczebin, 25 Octobris.

Michel Spys.

a) pferden *in margine.*

1) *Renczing Miklas.*

N. 85.

Varsaviae, 11.XI.1527.

Anna ducissa Masoviae

Alberto in Prussia duci

*ut arma quaedam a defunctis ducibus Masoviae Stanislao et Ianussio
apud fabrum quendam, ducis subditum, olim ordinata, et pro quibus
iam certa arrha persoluta erat, nunc ducissae aulico, nobili Stanislao
Jazłucki, extradantur.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.350.

N. 86.

Kroże, 27.XI.1527.

*Stanislaus Stanislai Janowicz (in ms. Janovicza), capitaneus generalis
Samogitiae,*

Alberto in Prussia duci

*pro armatura quadam sibi a duce missa gratias agit; de controversiis
finium inter Samogitiam et Ducatum Prussiae componendis refert.*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 87.

Ciechanów, 28.XI.1527.

Felix Brzeski, palatinus Masoviae et capitaneus Ciechanoviensis,

Alberto in Prussia duci

*de lite inter subditum ducis Albertum Warsthad et nobiles quosdam ex
Ducatu Masoviae, qui ab eodem Warsthad molendino in villa Chlewki
sito spoliati sunt.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.350.

N. 88.

Petricoviae, 15.XII.1527.

Nicolaus Szydłowiecki, Regni Poloniae thesaurarius,

Alberto in Prussia duci

pro litteris a duce manu propria scriptis gratias agit; aliqua nova scribit.

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

... Illustrissime Princeps etc.

Accepi literas Illustrissime Dominationis Vestre, humanissimas et
tanti Principis de manu propria nihil gravatim et gratiose scriptas, quas
ipse legi ac suscepi munere gratissimo. Ea igitur, que illis mihi iniungere

dignata est Dominatio Vestra Illustrissima medio Domini Nypscz, omni fide et enixissimo studio efficere curavi, et cui in maioribus pro virili mea placere et gratificari semper cupio, modo velit ac iubeat suo servitori, quem ad mandata sua omni occasione se offerente et sola sedulitate serviendi nunquam defuturum experietur Vestra Dominatio Illustrissima, ac de me sibi addictissimo fidenter persuadeat, unice rogo.

Ceterum in novis quid scribam, illud est imprimis Sacram Regiam Maiestatem cum toto Senatu, Dominum meum clementissimum, recte valere. Preterea Comicie Regni auspicate sunt et celerabuntur, faciat Deus, bonis avibus. Oratores Regis Ioannis, monachus de Ordine Sancti Francisci Bernardinorum, insignis familie de Frangepanibus, Archiepiscopus Colocensis per ipsum Ioannem Regem creatus, venit,^{a)} et suus collega, Dominus Episcopus Seremicensis,¹⁾ in itinere valitudinarius relictus est. Serenissimi item Regis Ferdinandi alii venturi sunt ad Sacram Regiam Maiestatem Domini mei. Quid tamen velint, non celabitur Dominationi Vestre Illustrissime. Sunt hic eciam Domini Palatini Moldavie²⁾ Nuncii pacis perpetue cum Maiestate Regia Domini nostri gratia. Tantum est ad presens de agibilibus Curie Regie Maiestatis... Pyotrcovie, 15 Decembbris, anno 1527.

Eiusdem Dominationis Veste Illustrissime
b) servitor
Nicolaus de Schydl[ovsky]cz manu propria.^{c)}

a) venit in margine.

b)-c) manu propria.

1) Stephanus Brodericus (Brodarics).

2) Petrus Rareš.

N. 89.

Petricoviae, 16.XII.1527.

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
rogat, ut titulorum suorum ignorantia duci in scribendo nullo sit obsta-
culo officiaque sua offert.*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

N. 90.

Petricoviae, 18.XII.1527.

*Petrus Tomicki episcopus Cracoviensis
Alberto in Prussia duci
pro litteris manu propria ducis scriptis gratias agit; ducis sollicitudines
dissipat circa suspiciones quasdam a quibusdam blateronibus sparsas.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.350.

Petricoviae, 18.XII.1527.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro litteris manu ducis scriptis gratias agit; de sacerdotibus captivis secum episcopo Cuiaviensi [Matthia Drzewicki] coram rege [Sigismundo I] egisse eosque liberos futuros; de adventu oratorum regis Hungariae Ioannis deque exspectato adventu regis Ferdinandi. (Cum schedula adiuncta)

Sigill.

(Annexum: litterae Georgii marchionis ad Christophorum Szydłowiecki de die 4.XII.1527, de aspirationibus eius ad Ducatum Opoliensem, quas hic publicamus)

Iam ed.: A.T. X. 14.

H B A. B 2, K.350.

Annexum: Georgius marchio Brandenburgensis ad Christophorum Szydłowiecki 4.XII.1527.

Magnivicze *) Deomine, Eamicze et Frater Deillegde.

Geauderem de opteima sanitate vestera geauderem.

Noteum faczio Dominationi Vestrae Magnifica, quot sane ex Hungaria ade isteas peartes redei et non poteui dimiter Dominationi Vestrae Magnifica, uti fratri, ade czitum deare, que sint illico nofa. Libenter ex Beudea Dominationi Vestrae Magnifica scripsissem, set non est tutum omnia scribere. Mitteoque nofa, que teunk fuerundt, et ut participem Dominationem Vestram Magnificam de negeoczeis meis, in quibeus minime expedeire peteuy, liczen at quarteale annum illico permanere opeortey et nisi pecunias ceonsumpsy, non peossum intelligere, quodt anteiqua serficzia quitquit falerent fraterem carissimum in serficzis Sue Maestatis. Proinde deyczit Vestra Dominaczio Magnivica, quam fideliter egeo peiis Regeibeu serfify, et quot et qualia odeia egeo possum sum propter Reginam Marie et modo nihil in debiteis meis de beonis meis, quas sibi feudeidei habere possum, alleis ceontulit, egeo nek neck solucionem nek beona habere peossum. Istea sundt mea fidelia serficzia etc. in negeoczio et contra stis Oppoliensibeus, at multea promissa nihil expetire peuteuy peotius se Sua Magestas excessit. Qui peoczius me impediundt et ecziam alioquy in Slesia. Ea Dominaczioni Vestrae Magnifica, sicut frateri, obteacere noluy. Ergeo rogeo Dominationem Vestram Magnificam, ut si opeus fuerit auxillio, Serenissimo Regei,^{a)} Domino meo, persuadeit,^{a)} ut Sua Magesteas Consiliario uno mihi gracziouse contulere felit, ut si in negeoczeis aliquam dietam coram Rege Ferdinandeo agere deberem, ut Sua Magesteas ea, que precessores sui mihi pro meis fidelibus serficzies contulerundt gracziouse contulerundt, quot iterum ergea Dominaianem Vesteram reserfire studebo. Itea cognoscere poterit Vestra Magnifica Dominatio, quliter mea, fratris et parentum meorum Domui Austrie ^{a)} serviczia ^{a)} recognoscuntur. Nihilominus spero in Deum Omnipotentem, ut minus iuste non exkludeat. Ea Dominationi Vestrae Magnifica, si-

cutei fratri, obteacere nolui. Plura haberem, set penne non sunt omnia
ceonfidenda etc. Rogeo, ut perlegdeis laceret teabulas aut kremet eas...

Deatum Krinofia, ferea quarta peost Anderee, anno XXVII.

Vester beonus amicus et frater
Georgeius Maricgio in Slesia Deuix etc.

a) a) *supra lineam.*

**) Textum publicamus cum omnibus erroribus
in eo contentis et relicta non mutata ori-
ginali eius orthographia. Autographum*

N. 92.

Petricoviae, 19.XII.1527.

*Ioannes Zambocki
Alberto in Prussia duci
operam suam et servitutem in omnibus licitis offert.*

Sigill.

H B A, B 2, K.350.

Illustrissime Princeps etc.

Amicus meus et servus fidelis Illustrissime Dominacionis Vestre, Nicolaus Nypczicz, ostendit michi nuper legendamque prebuit particulam litterarum, manu Illustrissime Dominacionis Vestre ad se scriptarum, in qua continebatur, ut idem Nypczicz Illustrissime Dominacionis Vestre nomine mecum ageret paciscereturque, quantam summam annue peccunie stipulare velim ab Illustrissima Dominacione Vestra, quo ei me in servitorem addicerem. Quod cum ego et legisset et fusius a Nypczicz intellexisse, insignem et excellentem virtutem Illustrissime Dominacionis Vestre tacitus tecum admirabar, quod videlicet me, homunculum nullo ingenio, nullis viribus, nulla denique singulari industria peditum, inter suos servos habere, etiam proposito premio, non dignatur.

Qua gratia Illustrissime Dominacionis Vestre tametsi me senciebam prorsus indignum, egi tamen gratias Deo, cuius nutu et voluntate effectum esse non dubito, ut ego apud Illustrissimam Dominacionem Vestram tanti existimarer, qui ad aliquod eius ministerium obeundum viderer idoneus. Quid vero ego Nipczicz super eiusdem sermone tecum habito tunc responderim, certus sum eum id ad Illustrissimam Dominacionem Vestram copiose perscripsisse. Sed ut ex me quoque intelligat Illustrissima Dominacio Vestra, que super eadem eius voluntate mea mens meaque sententia fuerit, humillime rogo, auscultet parumper et ita paucis accipere dignetur.

Ego, Illustrissime Princeps, mox ab inicio in hoc semper fui, ut eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre dignitati, fame et commodis pro facultate mea quoquomodo inservire potuissem. Et modo eidem Illustrissime Dominacioni Vestre meam fidem do me in omnibus licitis rebus fidelissime simul et studiosissime serviturum, modo servitus talis existat, qualem vires mee sufferre possent. Id eciam sine cuiusvis annue peccunie spe me libentissime fore facturum. Rogo itaque et obsecro, velit tandem iam aliquando servitutis et studii mei experimentum facere michique aliquid obeundum imperare. Tentabo admittarque, prius divino numine invocato, ut et Illustrissima Dominacio Vestra et reliqui homines

intelligent michi in exequendis imperiis eius non animum nec voluntatem deesse, sed vires. Quantum vero ad premium (quod Illustrissima Dominacio Vestra ex ingenita sibi liberalitate proponere dignata est) attinet, nolim tam rusticis moribus videri, ut tanti Principis beneficenciam aliquam aut reicerem aut aspernarer. Id enim facere et ipse iudico esse turpe et plane fatuum. Quam ob rem si ex gratia Illustrissime Dominacionis Vestre aliquid liberalitatis et beneficencie michi affulserit, amplectar libentissime. Non enim adeo diffido viribus meis, quin optime sustinere valeam, quantumcumque michi ex liberalitate Illustrissime Dominacionis Vestre provenerit. Sive illud sit nichil, sive 50, sive 100, sive mille, et ut Gallorum fastu et computo utar, sive etiam sit unus millio (Galli enim fere nonnisi milliones iactant). Quod si tam debilis sim, ut millionem humeris sustinere non possem, non dubitarem adiungere michi auxiliatorem nostrum illum robustissimum Mazovitam Radziminski etc. Rogo, dignetur iam inicium aliquod facere michi quidpiam imperandi experique, an ad aliquod ministerium valuero. Res novas, que hic multe et varie, minus tamen certe sunt. Scio cum ab aliis, tum vero a **Magnifico Domino Cracoviensi Castellano**, habunde esse ad Illustrissimam Dominacionem Vestra prescriptas. Quare in silvam ligna ferre nolo... Datum Petrkovie, 19 die Decembris, 1527.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
humillimus servus
Ioannes Szamboczski

N. 93.

Vilnae, 31.XII.1527.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
se oratoribus ducis opera sua auxilio esse non potuisse scribit.*

*Vest. sigilli.
H B A, B 2, K.350.*

Illustrissime Princeps, etc.

Actionibus, in quibus Oratores Vestre Illustrissime Dominacionis hic, ut tanti Principis honor et prudencia exposcit, egregie se gesserunt, sed quos ego opella mea iuvare nec potui, ne in aliena Republica curiosus videar, neque forsan etiam opus erat, cum iam illic apud Vestram Illustrissimam Dominacionem omnia fuissent concordibus votis et animis conclusa. Que quam ob rem immutata fuerint, ipsi Oratores Vestre Illustrissime Dominacioni melius referent, quam ego possem scriptis consequi. Quod ad me attinet, nihil ego non essem facturus pro Vestre Illustrissime Dominacionis honore, fama et dominiorum eius incremento, modo adsit aequa facultas voluntati, quam iam diu devovi in servitutem Vestre Illustrissime Dominacionis... Datum Vilne, in vigilia Circumcisionis Domini, anno Domini MDXXVIII.*)

^{a)} Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
servitor
Ioannes Choienski Archidiaconus Cracoviensis
subscriptis.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

*^{a)} *Annus datur festi Circumcisionis et non vigiliae.*

1528

N. 94.

Petricoviae, 4.I.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

ob regis [Sigismundi I] negotiosissimas occupationes nuntios ducis in re monetaria missos tardius expeditos esse scribit.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Descripti proximis litteris nova Illustrissimae Dominationi Vestrae de rebus Germanicis et Italicis. Ad presens nihil certi habeo. Hic Conventus noster extrahetur in finem huius mensis, una cum difficultas trudit aliam. Et quod Nuncii Illustrissimae Dominationis Vestrae non tam cito sunt expediti, nichil aliud in causa est, quam occupationes Regie Maiestatis negotiosissimae, quibus indies magis ac magis distinetur. Negocium autem, propter quod huc Oratores suos Reverendissima^{z)} Dominatio Vestra mittere dignata est, non est sic expeditum, ut debuit, propter causas, quas iidem Nuncii Illustrissimae Dominationis Vestrae dicent. Negocium (inquam) occasione monetae. Reiecta est tamen res illa in conventum Elbingensem, ad quem Maiestas Regia mittere dignabitur Nuncium suum et per hunc committet hoc, quod necessarium est, etc. etc. etc. Commissionem autem istam ego diligenter sustentabo etc.

De aliis autem rebus Illustrissima Dominatio Vestra cognoscet ex Nunciis suis, qui licet tardius hinc absoluti sunt, postulantibus ita gravissimis negotiis Reipublicae, tamen nihil negligent, et Dominatio Vestra Illustrissima habet maximam gratiam a Sacra Maiestate Regia, quod tam vigilanter curat eas res, quas scit ad Suam Maiestatem peculialiter^{z)} pertinere... Datum Petrkoviae, die 4 Ianuarii, 1528.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius,

^{a)} *Vestre Illustrissime Dominacionis totus quidquid est manu sua.^{b)}*

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

Petricoviae, 11.I.1528.

*Ioannes Łaski, primas Poloniae,
Alberto in Prussia duci
ducem interrogat, an munus supremi ducis exercituum regis Ioannis
[Zapolya] in se suscipere velit.
Sigill.
H B A, B 2, K.351.*

Illustrissime Princeps etc.

Accepimus nuper ex Magnifici Domini Hieroslai de Lasco, Palatini Siradiensis, nepotis nostri, litteris illum, posteaquam ex Gallia ad Serenissimum Ioannem Ungariae Regem redit ac bellum hoc inter Serenissimos Principes istos, quod ipse quieturum sperabat, adeo vidit non mitescere ut etiam indies magis ac magis incrudescat, hoc imprimis Serenissimo Regi Ioanni suassissem, ut exercitui suo de bono quopiam, fido ac vigilanti^{a)} duce aut imperatore prospiceret, ac inter caeteros primum omnium Illustrissimam Dominationem Vestram, pro sua erga eam observantia, nominasse Regiamque illam Maiestatem huic suae persuasiōni ita aquievisse, ut aut ipse Dominus Palatinus, nepos noster, litteris suis, aut nos ipsi nostris hoc negotium cum Dominatione Vestra Illustrissima tractaremus, imprimisque sciscitaremur, vellet-ne Illustrissima Vestra Dominatio hanc ipsam suscipere provinciam in gratiam illius Maiestatis, utque, si annueret Vestra Illustrissima Dominatio conditionibus ei propositis, negotium transigeremus. Sin minus, saltem illius Maiestatem suspensam non teneamus. Id enim vehementer interesse Regie illius Maiestatis, ut res quanto possit celerius absolvatur. Atque ita, Illustrissime Princeps, illud imprimis petimus a Vestra Illustrissima Dominatione, ut mentem in hac parte suam nobis aperiat significetque per eum ipsum nuncium, quid Regiae illi Maiestati aut sperandum sit, aut per nos respondendum. Quod si Vestra Illustrissima Dominatio animum suum ad id faciendum induxerit, nos iam Illustrissimae Vestræ Dominationi condiciones omnes, quibus haec fieri deberent, proponeremus non indignas tali Principe. Sin secus, officio tamen nostro, quantum in nobis est, satisfecerimus... Piotrkoviae, XI Ianuarii, anno Domini MDXXVIII.

Ioannes, Dei gratia Archiepiscopus Gneznensis,
Primas et Legatus Natus.

a) in ms. vigllanti

Petricoviae, 18.I.1528.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
litteras ducis se accepisse refert, quibus dux gratias sibi egit pro officiis
Eckio a Reppichaw, ducis oratori, a se praestitis.
Vest. sigilli.
H B A, B 2, K.351.*

Petricoviae, 18.I.1528.

*Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
pro litteris gratias agit; obsequia sua offert.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Litteris quod me Vestra Illustrissima Dominactio impartire dignatur, habetur abs me summa semperque habebitur gratia, enimvero plenas benevolencie refertissimasque humanitatis ac germanum amorem spirantes planissime cerno. Adiuvat non mediocriter eam rem, meam scilicet de litteris Vestre Illustrissime Dominacionis sentenciam, quocies manu Vestre Illustrissime Dominacionis subscriptas intueor. In quo preter annum candidum, quem abunde cognosco, haud obscurum eciam videre virtutem Principe dignam. Neque enim dubitavit Illustrissima Dominacio Vestra ceu quodam singrapho testari id litterarum e mente Vestre Illustrissime Dominacionis profectum fuisse. Ea profecto virtus, cum alibi habet nitorem et favorem meretur, tum in Principibus gratiam et admirationem peculiarem sibi vendicat. Quam equidem, quum non aliud sit, quod possim, passim predicare statui. Porro hanc amiciciam, in quam me recipere dignatur Vestra Illustrissima Dominacio, fovere, alere, quin crebris officiis reddere curabo firmorem. Eum vero animum Vestre Illustrissime Dominacionis erga me, quem habeo cognitum, merebor perpetuo. Iam vero quod Vestra Illustrissima Dominacio sibi de me polliceri dignatur, res quippe eiusdem mihi cure esse, faxo lubens et sedulo, hanc opinionem de me conceptam ut stabiliam, dum animus est, negotia Vestre Illustrissime Dominacionis tanquam commissa obire, nec minori studio tractare quam que sint maxima. Huc me eniti testes apello hos, quos Vestre Illustrissime Dominacionis esse intelligo. Quicquid id est, quod certe purum et candidum, malo Vestram Illustrissimam Dominacionem ex ipsis quam ex meis litteris cognoscere. Illud in summa sibi velim persuadeat Vestra Illustrissima Dominacio, me meosque affectibus Vestre Illustrissime Dominacionis et velle et debere obsequi et morem gerere, non secus atque quispiam ex domesticis et familiaribus Vestre Illustrissime Dominacionis, cui me adsero.

Nova hic tametsi multa, tamen quoniam eadem illa aliorum hic Vestrae Illustrissime Dominacionis merencium aut amicorum opera perspicua eidem esse intelligo, data opera missa facio. Relinquo his, qui horum curiosi sunt. Ego vereor, ne si perspecta narrem, id repeterem atque tedium Vestre Illustrissime Dominacioni ingenerarem. Cui me commendatum cuperem magnopere. Datum Pyotrkowie ipso festo Sancte Prisce, anno Domini 1528.

^{a)} Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
deditissimus servitor
Andreas de Thanczyn propria manu sua.^{b)}

^{a)-b)} *manu propria.*

Petricoviae, 20.I.1528.

*Nicolaus Szydłowiecki, thesaurarius Regni Poloniae,
Alberto in Prussia duci
obsequia sua et servitia coram rege duci praestanda offert.
(Germanice)*

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Petricoviae, 22.I.1528.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de annua ducis pensione citius persolvenda; de praedicatoribus captivis liberandis.*

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Magnas ago et habeo Vestre Illustrissime Dominationi gratias, quod in negotiis suis dignetur uti serviceis meis. Quod igitur petit, ut summa florenorum, quae ex contractibus, quos habet Illustrissima Dominatione Vestra cum Sacra Maiestate Regia, Domino meo clementissimo, Illustrissimae Dominationi Vestrae pro festo Sacri Paschae solvi debet, ad Catedram Divi Petri solveretur, egimus diligenter cum Reverendissimo Domino Episcopo Cracoviensi,¹⁾ bono fratre Illustrissimae Dominationis Vestrae. Ita quod Serenissimus Dominus noster, cupiens in hoc Illustrissimae Dominationi Vestrae gratificari, commisit negotium Domino Bonner, Zuppario Cracoviensi. Et non dubito, quin satisfactum erit in hoc voluntati et desyderio Illustrissimae Dominationis Vestrae.

Quantum vero attinet negotium Illustrissimi Domini Ducis Legnicensis²⁾ et suorum subditorum, Sacra Maiestas Regia, ut est nunc occupatissima, extraxit hoc negotium in finem istius Dietae, prout hoc ex litteris Suae Maiestatis Regiae cognoscere dignabitur.

De predicatoribus captivis, sicut prius scripsi, faciam operam, ut, quam primum redibo ad Gostinin, habeat illos Illustrissima Dominatione Vestra. Quod vero agit mihi gratias de diligentia facta in rebus Illustrissimae Dominationis Vestrae et de praestita humanitate Nunciis eius, mi Illustrissime et Colendissime Frater, si quid aut opere aut diligencie in rebus et negotiis Illustrissimae Dominationis Vestrae a me impeditur, impeditur certe summa cum alacritate. Non minus enim mihi cure sunt res et negotia Illustrissimae Dominationis Vestrae, quam mea propria. Utinam essem tam felix, ut omnibus in rebus possim votis Illustrissime Dominationis Vestrae respondere.

Miseram antea silvam rerum novarum Illustrissimae Dominationi Vestrae. Nunc nichil est, quod mittam, nisi scire dignetur Sacram

Maiestatem Regiam rectissime valere, sed distentam esse multis et variis negotiis, tam Regni sui quam externorum Principum. Neque sunt expediti in hunc usque diem Oratores Serenissimorum Dominorum Hungariae et Bohemiae etc. Regum.³⁾

Ad alias vero literas,^{a)} manu Illustrissimae Dominationis Vestrae scriptas, Reverendissimus Dominus Episcopus Cracoviensis suo et meo nomine Illustrissime Dominationi Vestrae respondebit. Commendo me gratiae Illustrissimae Dominationis Vestrae. Quam optime et felicissime valere desydero. Datum Pyotrkoviae, XXII Ianuarii, anno Domini mille-simo quingentesimo vigesimo octavo.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schydlowyecz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius

b) Vestre Illustrissime Dominationis totus quidquid est
manu sua.^{c)}

a) sequitur verbum expunctum: scriptas

2) Fridericus.

b)-c) manu propria.

3) Ioannes et Ferdinandus.

1) Petrus Tomicki.

N. 100.

Petricoviae, 22.I.1528.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,
Alberto in Prussia duci
de summa quattuor millium florenorum duci persolvenda, cuius tamen
solutio ob certas causas tempore praefinito perfici non potuit.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

N. 101.

Petricoviae, 24.I.1528.

Petrus Tomicki, vicecancellarius, et Christophorus Szydłowiecki, cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro litteris germanico sermone scriptis gratias agunt earumque sensum
se intellexisse nuntiant; de necessitate terras Oświęcimensem, Zatorensem et Prussiae a vindicationibus et impetitione imperatoris et
regis Ferdinandi aliorumque prorsus liberandi; de difficultatibus in
dissidio inter regem Ioannem et regem Ferdinandum a rege Poloniae
[Sigismundo I] componendo, non obstantibus hac in re susceptis
tentaminibus.

Sigill.

Iam ed. (sine data): A.T. X.3 (ex Cod. Op. et Cod. Sap.)
H B A, B 2, K.351.

Gostynin, 9.III.1528.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
mittit novitates ex Hungaria et Italia; natum sibi filium nuntiat.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Quod autem Vestrae Illustrissimae Dominationi ex Piotrcovia, cum iam Comicia eramus conclusuri, nihil rescripserim, culpam non mihi impingat, sed illis, nempe Domino Samboczky et Nunciis, qui me pro responso dando non commonefecerunt. Caeterum Illustrissimae Dominationi Vestrae volui innotescere, quomodo mihi quidam subditus Domini Ferdinandi^{a)} his proximis diebus, et signanter ex Vratislavia, scripsit cum expostulacione quadam gravi, quomodo videlicet aliqua hic machina-rentur contra Serenissimum Dominum Ferdinandum, misitque mihi exemplum literarum Reverendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis,¹⁾ ad Illustrissimam Dominationem Vestram datarum' occasione capitaneatus, quo Illustrissima Dominatio Vestra fungi apud Ioannem Regem debuerat. Ego huiusmodi literarum exemplum ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum misi, quo rescirem, ut se res illa habet, aut si aliquae aliae literae interceptae essent, cum huiusmodi literis. Reverendissimus Dominus Archiepiscopus rescripsit se id bono animo fecisse, magis componende pacis quam excitandi belli. Haec mihi visa fuerunt Illustrissimae Dominationi Vestrae significanda.

Super rebus Hungaricis nihil in praesencia scitu dignum habeo. Giersdorff, Cubicularius regius, nudius tertius ex Hungaria huc ad me venit. Qui apud Regem Ioannem fuit, is illum refert copias gencium habere. Item Regem Ferdinandum itidem, et ita Deus novit, quid futurum erit. Dominus noster vult se adhuc interponere et tentare, si quo pacto possit huiusmodi bellum dirimi, praemissis levioribus Nunciis, nimirum Domino Petro Opalinsky ad Serenissimum Dominum Ferdinandum et porro ad Comicia in Germania futura, et Domino Ioanne Wietwinsky, Castellano Plocensi, alumno meo, ad Regem Ioannem. Qui maioribus Oratoribus viam preparent. Quos Sua Maiestas illuc, nullis sumptibus parcendo, missura est, si dabitur aliqua conveniens ansa componendi huiusmodi Principes.

Nova ex Italia, mihi a Cancellario²⁾ Reginalis nostrae Maiestatis³⁾ missa, Illustrissimae Dominationi Vestrae hic inclusa transmitto. Postremo Illustrissimae Dominationi Vestrae patefacio consolacionem meam, qua me Deus Optimus Maximus consolari filio dignatus est, et ita ubi prius unus Christophorus, iam nunc duo Cristophori Illustrissimae Dominationi Vestrae ad serviendum praesto erunt. Super literas, quae mihi Illustrissima Dominatio Vestra simul cum Domino Episcopo Cracoviensi⁴⁾ scripsit, eidem cum eodem Domino Episcopo habunde rescripti. Alia in pree-

sencia scriptu digna non occurunt... Datum in arce Gostinensi, feria secunda proxima post dominicam Reminiscar,²⁾ anno Domini MDXXVIII.

Cristophorus a Schidlovietz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius etc.

b) Vestre Illustrissime Dominacionis totus bonus servitor manu sua.^{c)}

a) *verba*: Domini Ferdinandi *in margine*.

2) *Nicolaus Wolski*.

b)-c) *manu propria*.

3) *Bona*.

z) *sic in ms.*

4) *Petrus Tomicki*.

1) *Ioannes Laski*.

N. 103.

Gostynin, 23.III.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
transmittit aliqua exempla litterarum, de rebus Hungaricis tractantium.

Sigill.

(Annexa: 1. exemplum litt. oratorum regis Ferdinandi ad Szydłowiecki, 4.III.; 2. exemplum litt. regis Ferdinandi ad oratores suos, 19.II.; 3. exemplum litt. Pauli Krassowski ad Szydłowiecki, 14.III.; 4. fragmentum ex litteris Iodoci Decii, consulis Cracoviensis)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Per familiarem Domini Balinsky proxime Dominationi Vestrae Illustrissimae scripsi, quae tum mihi ex re scriptu visa videbantur. Non dubito, quin huiusmodi meae literae Vestrae Illustrissimae Dominationi redditae sunt. Quae autem iam nunc apud me sunt, volui ea quoque Illustrissimae Dominationi Vestrae communicare, ex quibus rem, ut se habet, ex ordine cognoscet. Imprimis Vestrae Illustrissimae Dominationi exempla mitto literarum a Dominis Oratoribus, nempe Sigismundo Herbensteyn et Georgio de Lokschany, ad me ex itinere datarum, simul cum exemplo Serenissimi Domini Ferdinandi Regis ad se. In quo ego ad Suam Maiestatem, Dominum meum clementissimum, pro responso misi. Siquidem ego in rebus adeo arduis transigidis a Sua Maiestate nihil in commissis habeo, ne quidem habere velim. Quid mihi postea ex Cracovia scriptum est, id eciam hic inclusum Vestrae Illustrissimae Dominationi transmitto, ut ad illam, cum qua leta, simul et tristiora comunicare soleo. Nihil addubitan, quin Vestra Illustrissima Domination super meas et priores et praesentes, nacto nuncio, responsura erit. Cum his me cum Christophoro filio, servitore Illustrissimae Dominationis Vestrae, commendo... Datum in arce Gostinensi, feria secunda a domini Letare, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Cristophorus de Schidlovietz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius etc.

a) Vestre Illustrissime Dominacionis totus quidquid est manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

*Annexum I: Oratores regis Ferdinandi Christophoro Szydłowiecki,
4.III.1528:*

Exemplum literarum Oratorum Serenissimi Domini Regis Ferdinandi ad Magnificum Dominum Cristophorum de Schidlovietz, Castellatum Cracoviensem.

Illustris Domine etc.

Illustrem Dominacionem Vestram scire volumus nos a Sacratissima Regia Maiestate Hungarie Bohemieque etc. Domini nostri graciosissimi, in reditu nostro, in Slesia litteras accepisse, quarum paria hic, ut animum et voluntatem Sue Sacratissime Regie Maiestatis intelligere posset, Illustri Dominacioni Vestre transmittimus, et facimus hoc ideo, tanquam a Serenissima Regia Maiestate Polonie informati, quod Illustris Dominacioni Vestra in his et similibus rebus in absencia Suae Maiestatis habuit plenam potestatem providendi. Quare cum negocium id nullam moram pacietur, rogamus summopere Illustrem Dominacionem Vestram, dignetur hoc nuntium nostrum sine mora et cum responso ad nos remittere. Mittimus preterea hic et istas litteras Sacratissime Regie Maiestatis Domini nostri, ad Serenissimam Regiam Maiestatem Polonie datas, in quibus forsan Sua Maiestas eciam super ea re Sue Regie Maiestati Polonie scribere dignetur. Datum in Freistadt, 4 Marcii, anno Domini 1528.

Sigismundus de Herbersteyn etc.
Georgius de Logsteyn etc.

Annexum II: Ferdinandus rex oratoribus suis, 19.II.1528:

Exemplum literarum Serenissimi Domini Ferdinandi ad Oratores suos, ex Comicis Petrcoviensibus redeuntes.

Reverende ac Generose, Fideles nobis dilecti.

Cerciores vos facere volumus permotos nos desolacione et extrema vastitate atque depopulacione huius Regni nostri et acerbissimis subditorum opem nostram assidue implorancium querelis comparasse copias et validum exercitum mississeque ad persequendum Ioannem Zapolensem, hostem Regni nostri proscriptum, ut Regnum nostrum ab eius tyrannide et servitute vindicaremus. Mandamus autem Capitaneis nostris, ut Ioannem ipsum, quocunque divertat, insectantur²⁾ nec desinant usque ad eius exterminium.

Et quoniam fama est, si fuga rebus suis consulet, non nisi ad Regnum Serenissimi Poloniae Regis se recepturum, proinde vobis mandamus, ut isti Maiestati Regie nostro nomine diligenter proponatis, consideret, que inter Regna nostra sint confederaciones, que item inter nos necessitudo et fraternitas, et non paciatur, ut Ioanni, publico nostro et Regni nostri emulo atque hosti notorio, receptus in Regnis et dominiis suis prebeat, hominemque de tempore admoneat, ut de alio, si res sue postulaverint, perfugio sibi consulat. Nam Capitanei nostri cessatur non sunt, donec Deo iuvante hominem aut in potestatem redigant, aut in ea loca coniiciatur, ad que ipsis nullus accessus patere possit. Nollemus autem in Regna Sue Maiestatis hominem persequi congerenter,²⁾ utpote cuius subditis non minus quam nostris parcere semper intendimus. Et si exigente necessitate, dum hostem persequerentur, penetrarent in ista Regna, quamvis serio illis mandaverimus, ne quid in subditos Sue Maiestatis hostiliter agant, nollemus tamen quantulacunque inter nos subditosque nostros dissensionis aut male vicinitatis inicia suboriri. Agatis itaque hanc rem ea qua potestis diligencia et curetis, ut responsum de hac re,

quodcunque habere poteritis, et nobis et Capitaneis nostris Valentino Truskes Comiti Temissensi, Ioanni Reyczanner et Ludovico Prunkseri, quos iam ad partes superiores expedimus, primo quoque tempore significetis. Datum Strigonii, 19 Februarii, 1528.

Ex commissione propria Regie Maiestatis.

z) sic in ms.

Annerum III, Paulus Krassowski ad Christophorum Szydłowiecki, 14.III.1528 (Iam ed.: W. POCIECHA, Królowa Bona, II, p. 587-8):

Illustrissime etc.

Dum istas alias litteras finire, utcunque festinanter et tumultuarie, debui, dictum est michi, quod Gnoyensky, filius illius Gnoyensky, qui Cracovie domum emerat in Platea Sutorum, venit a Rege Ioanne. Mox posito calamo, cucurri ad eum, ut sim omnium auritus testis essem.^{z)} Inveni domi adolescentem, quem cum interrogavi de clade ista, respondit in hunc modum.

Domine Crassowsky, sciatis, quod ibi nulla clades fuit, quia pugna vix erat cepta. Etiam interrogavi: dic michi, mi Domine Gnoyensky, quomodo res acta est. Respondit: feria sexta ante Reminiscere, hora quasi 22, dum nos voluimus occupare quandam montem nobis ex usu futurum et tenderemus versus illum, ecce ex improviso 5000 gencium Regis Ferdinandi ad radicem illius montis, optime ordinati in acies, retro silvam steterunt; hussarones, qui nobiscum erant, iniverunt preludia belli, vulgari poczeli harcz. Na tem harczu (inquit) ceperunt sibi gratulari, dextram dextre iungere ac se mutuo deosculari et continuo aufugerunt. Pedites, inquit, nostri manus cum Germanis conseruerunt. Et Rex Ioannes videns se ab Hungaris deceptum ac derelictum, etiam fugere cepit. Quem nos secuti sumus cum Domino Seczygnyowsky et cum Domino Miskowsky¹⁾ usque ad Polonię. Dicit Gnoyensky, quod feria quinta deseruit Regem, dum ibat ad Camyenyecz. Dicit idem Gnoyenski, quod nullum currum Rex suum ammisit et salva sunt sua omnia, nisi Polonorum currus 400 et ultra sunt recepti.

Dicit etiam Gnoyensky, quod omnes Hungari, qui in fines Regni Regem commitabantur, valedixerunt illi et contulerunt se ad partes Ferdinandi Regis. Dicit idem Gnoyensky, quod illi Hungari, qui in inicio pugnae desciverant a Rege Ioanne, rursus illum fugabant, volentes ipsum Regem aut interficere, aut captivum hosti dare. Dicit idem Gnoyensky, quod receperunt Regi Ioanni Germani milites sedecim pixides campestres cum apparatu. Narrat Gnoyensky, quod Borathinsky²⁾ in fuga vulneratus in faciem nesciturque, quo factus est. Et similiter Orator Regis Franciae,³⁾ nescitur an imperfectus vel captus est. Non desiderantur ex parte Regis Ioannis, ut Gnoyensky dicit, magis quam trecenti pedites, Poloni et Hungari promiscue. Dicit Gnoyensky, quod exercitus Germanus constabat ex mille equitibus armatis gravis armatura, trecentis lanceariis, octingentis Boemis peditibus, et reliquum Hungari suplebant. Ita ut fuerunt ex parte Regis Ferdinandi 5000 hominum et ex parte Regis Ioannis 7000. Dicit Gnoyensky, quod ut eramus superiores, ita illos potuimus vincere, si hussarones Hungari non decepissent Regem.

De Magnifico Werbecz, Cancellario, nichil scit, neque dicitur esse hic cum Rege. Dicit Gnoyensky, quod Radycz fuit quidem parcium Regis Ioannis, sed cum fortuna ita inclinasset eius, eum etiam dereliquit. Dicit Gnoyensky, quod Dominus Humyensky noluit Regem suscipere ad arcem suam,

licet etiam partes suas sequebatur. Dicit Gnoyensky, quod nullus Hungarus cum Rege est preter aliquot Agasones et Magistrum stabuli. Dicit idem Gnoyensky, quod Dominus Palatinus Sandomiriensis,⁴⁾ Dominus Tarrowsky, heri ivit ad eum ad Camyenyecz, et concordat in hoc cum eo servitor Caroli, qui nunc redit ex Tharnow. Puerum hunc duabus horis longius retinui quam exire potuit, propterea ut ea Illustrissime Dominationi Vestre, Domino meo clementissimo, describerem, que audivi ex ore Gnoyensky. Talem narracionem michi fecit Gnoyensky, quam ego quasi ad verbum expressi, ut Illustrissima Dominatione Vestra omnia scire... Datum festinantissime ex Cracovia, sabbato ante Oculi, hora 22, 1528.

Servitor Paulus Crassowsky
propria manu subscriptis.

z) sic in ms.

1) Laurentius Myszkowski cast. Oświęcimiensis.

2) Ioannes.

3) Antonius Rincon de Medina del Campo,
orator Francisci I.

4) Otto Chodecki.

Annexum IV, Fragmentum ex litteris Iodoci Decii.

Ex literis Famati Iodoci Decii, Consulis Cracoviensis.

Remanserant iste litere ad 14 Marcii. Interea temporis venit hoc nuntium de conflictu duobus miliaribus a Cassovia, in quo Regi Ferdinando cessit victoria. Ioannes Rex se in Poloniam recepit, fortassis hodie in Byecz, ubi iam pridem est Dominus Zupparius. Fama est eum hoc futurum, quod minime credo. Accepti sunt currus circiter quadringenti, machine omnes. Iudex Bartphensis in conflictu fuit, quem Capitanus Cancianus adhibuit ad lectionem literarum, que reperte fuerunt in curru regio, scriniolum plenum, ubi litere sunt invente, contractus Viennensis et alii veteres. Dicit idem Iudex circa contractum esse sigillum Regis nostri, quod mirum michi videtur. Non aliquem insignem ex nostris periisse, preter Dominum Boratynsky, tametsi sint, qui eum viderunt vulneratum iacentem, et postea captum putant. Utinam nunquam illuc concessisset! Aiunt nunc exercitum tendere ad arcem Scapusensem, Kirberge, Oratorem Rynkon¹⁾ dicunt in arce Scapusensi regia esse. Timendum, ne si Cancianus resciat, homo iuvenis furensque, victoriis felix velit tentare aliquid.

1) Antonius Rincon de Medina del Campo.

N. 104.

Gostynin, 30.III.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de rerum statu in Hungaria; iterum de filio sibi nato.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Scribere mihi dignatur Illustrissima Dominatione Vestra se mirari, quomodo actiderit, ut Serenissimus Dominus Ferdinandus Rex Hungarie et Bohemie etc. intellexerit Illustrissimam Dominationem Vestram a Domino Rege Ioanne actitam fuisse in primarium exercitus sui ducem,

et litterarum illarum paria habuisse, que in ea re Illustrissimae Dominationi Vestrae scripte fuerant. Quod ut verum fuit, Illustrissima Dominatione Vestra negare nec posset nec vellet. Illustrissime mi Domine Princeps, satis mihi esse duco me id Illustrissimae Dominationi Vestrae scripsisse et rursus eius responsum habere, quia nolle ea latere Illustrissimam Dominationem Vestram, quae scire eam arbitrarer, fidem eam habens indubiam, quod vicissim mihi ea rationem sit relatura. De responso autem illo, quod in ea re medio Nipczicz, aulici regii, dare dignata est, me penitus latet, nam cum illae litterae ad cognicionem meam pervernissent, iam Dominus Nipczicz aberat a Piotrkovia, unde nihil intelligere potui.

Scribit demum Illustrissimam Dominationem Vestram libenter audire Sacram istam Regiam Maiestatem, Dominum nostrum, eo niti, quo Serenissimos illos Reges, Ferdinandum et Ioannem, componat. Iam quidem fuerant ad utrasque illas Maiestates designati precursores, qui illarum Maiestates ad ineundam concordiam flecti et alicere debuerant, quos solennes alii Oratores sequuntur¹⁷) fuerant, qui huiusmodi concordiam inter illarum Maiestates bonis avibus transegissent. Sed interim donec illi prodromi egrederentur, ventum est inter illos Principes ad conflictum, in quo Dominus Rex Ioannes victus et profligatus est a gentibus Serenissimi Domini Regis Ferdinandi, et hic tandem in Poloniā cum paucis Hungarī suis venit, et primum in arce Cameneensi constitut, Dominorum de Camynyecz hereditaria, nunc autem in Tharnow ad Dominum Palatinum Russie descendisse dicitur. A cuius Maiestate habui hic Dominum Laurentium Miskowski, Castellanum Oswianciniensem, qui mihi de statu et serie illius conflictus, ut evenit, disseruit adamussim, et ut hic demum in Poloniā se recepissent.

Sed nihil iam dubito Illustrissimam Dominationem Vestram de hac re ex litteris meis proximis intellexisse. Fuit quidem exercitus Regis Ioannis maior, sed Hungari secum pugnam inire detractarunt, ut nisi Poloni, qui illuc aliquotcenti habebantur, videbantur certare. In peditibus tamen totum negotium pugnae illius recidit, et plures inde desiderantur. Ex equitibus pauci insigniores, preter Dominum Borathinski, bonum militem, qui hactenus nescitur, si captus sit vel evasit. Ab utraque tamen parte de illo dicitur, quod bonum se inde virum prestitit et exhibuit, ut illum ego esse semper futurum sperabam. Currus Polonorum illorum gregariorum equitum et peditum inde capti. Dominus Deus iam tandem Rem Christianam pacare dignetur et Regnum illud nobilissimum Hungarie afflictum in virtute sua tueri, ut demum Turco, communi hosti, resisti possit, quem exploratores nostri et fama ipsa, omnium rerum nuntiatrix, referunt esse instructissimum et indies ad invadendum et occupandum illud Regnum parari.

Scribere etiam dignatur Illustrissima Dominatio Vestra iucundissimum nuntium audivisse me auctum esse his diebus filio, que res merorem, quem Illustrissima Dominatio Vestra ex prematura morte secundogenitae filiole conceperat, non modo leniverit, sed prorsus etiam depulerit. Primum immaturitye illi morti filie Illustrissime Dominationis Vestrae ex animo compatior et Dominum Deum precor, ut casum futuro filio, cuius ego utinam verus vates ero, compenset et resarciat. Deinde quod ad gratulacionem eam filii mei attinet, quam Illustrissima Dominatio Vestra ex summo suo in me amore facit, iure id facere debet Illustrissima Dominatio Vestra, nam quanto plures huiusmodi Cristophori augentur in domo Schidlovetia, tanto pluribus etiam augebitur Illustrissima Dominatio

Vestra et liberi eius bonis et faventibus servitoribus, quia sicut ego Illustrissimae Dominationi Vestrae libenter et sinceriter morem gerere et obsequi consuevi, ita is filius meus, si vivet per Dei gratiam, patris et,^{z)} hoc est exemplo meo, tam Illustrissimae Dominationi Vestrae, quam eius Illustrissimae Dominationis Vestrae filii futuris et inclyte domui semper serviet.

Ceterum prohibicio ista vie publice in Slesiam, de qua mihi scribit Dominatio Vestra Illustrissima, illa facta est me tunc in Austria apud Serenissimos Principes, divum olim Ludovicum et Dominum Ferdinandum, immediatos Hungarie et Bohemie Reges, cui rei ego maxime semper adversabar, utpote qui hactenus non didici, quod magnum commodum prohibicio ista nostrae Reipublicae attulisset et deinde sit allatura. Et in presentiarum non cesso, quoad possum, ut hec res in aliud finem referri possit.

Maiestas Regia, Dominus noster, una cum Reginali Maiestate¹⁾ et filio suo, Illustrissimo Domino Sigismundo Magno Duce Lituaniae, Lituaniam profecta est. Fxit Deus, ut illius Ducatus negotia omnia ex sentencia componat. Ego etiam hic ad eas arces me contuli, limitibus Prussiae propinquiores, in quibus rarius antea fueram, mansurus hic quoad fieri potest longius, etiam ad festum Pentecostes, si quid aliud hinc me non abduceret vel Regie Maiestatis mandatum ipsum, cuius rei gratia locum mutare cogerer... Ex Gostinin, feria secunda post Iudica anno Domini MDXXVIII.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Cristophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Polonie Cancellarius

a) Vestre Illustrissime Dominacionis totus bonus servitor
manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Bona.*

z) *sic in ms.*

N. 105.

Varsaviae, 2.IV.1528.

Felix Brzeski, palatinus Masoviae,
Alberto in Prussia duci
pro nobili Iacobo Lachowski, ut ei kmethones ex bonis suis Lachowo,
qui cum debitis in terras ducis profugerant, restituantur.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

N. 106.

Bodzanczin (Bodzentyn) 7.IV.1528.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro Matthia Lange et Christiano Colman, civibus Gedanensibus, quibus
quaedam ligna in ditione ducis intercepta sunt, ut eis tandem, post
tot intercessiones regias, iustitia reddatur.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

N. 107.

Bodzentyn, 10.IV.1528.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci

de moneta cudenda; de miserabili et calamitoso statu Ioannis Hungariae
regis, a suis derelicti et traditi, et in Polonia refugium quaerentis.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Iam ed.: A.T.X, 183 (ex Kod. Sap.)

N. 108.

Lachowo, 20.IV.1528.

Iacobus Lachowski (in ms. Lyachowski)

Alberto in Prussia duci

supplicat, ut ei subditi kmethones profugi, in Ducatu Prussiae latitantes,
reddantur.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.351.

N. 109.

Gostynin, 21.IV.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae
cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de negotio cudenda monetae in terris Prussiae; de presbyteris captivis
manumittendis; de statu regis Ioannis et de eius Tarnoviae commo-
ratione; de oratore a rege Poloniae ad regem Ferdinandum pacifica-
tionis causa misso; de Tartaris Perecopensisbus.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Domine Princeps etc.

Intellexi litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae, quas mihi per
hunc puerum scripsit, de negotio scilicet monetae cudenda in terris
Prussie, in qua re postulat a me Illustrissima Dominatio Vestra, ut ne-
gotium hoc eius Sacrae Regiae Maiestati, Domino suo clementissimo,
commendatum facerem. Memoria teneo, ut alias mecum in ea re egit
Illustrissima Dominatio Vestra per succamerarium suum proxima hieme,
deinde vero Pyotrkoviae per litteras. Ego vicissim cum Sacra Regia

Maiestate, et nunc item per litteras suas, eius Maiestati Vestrae Illustrissimae Dominationis desiderium diligentissime commendando et supplicando Suae Regiae Maiestati, ut illius votis condescendere dignaretur. Non dubito vero illius Maiestatem, quae est in sanguinem suum studiosissima, ea omnia factura, quae illius Maiestatem et Vestram Illustrissimam Dominationem communiaque dominia sua convenire et spectare videbuntur, et ex usu atque commodo subditorum suorum fieri quam maxime possit. Libenter tamen vidi sem, ut Illustrissima Dominatione Vestra se in ea re cum Consiliariis aliis terrarum Prussiae, in quorum commune consilium negotium hoc ipsum reiectum fuit, conformare et conferre posset. Quod successive Illustrissimae Dominationi Vestrae munificencia regia refici poterit.

Quod ad captivos illos presbiteros attinet, mitto illuc ad illos manumittendos Dominum Stanislaum Kostka, Capitaneum Golubensem, bonum Illustrissimae Dominationis Vestrae servitorem, qui illos optulit²⁾ istic ad Illustrissimam Dominationem Vestram transmittere, a Domino Episcopo Cuiaviensi¹⁾ acteptos.

In novis rebus nihil aliud est quod scribam, quam quod Sacra Regia et Reginalis Maiestas,²⁾ una cum Illustrissimis suis liberis, ex gratia Dei bona fruuntur valetudine. Ego etiam hinc cras Cracoviam versus discedo, una cum universa domo sua,²⁾ hoc est coniuge et liberis. Serenissimus Dominus Rex Ioannes in Tharnow est apud Dominum Comitem.³⁾ Nescio quem in rebus suis animum habeat. Postulavit non pridem illius Maiestas a me, ut secum convenire vel ad Tharnow venirem, desiderans, ubi ego ad se non venirem, venire hic ad me velle. Tamen ego excusavi me illius Maiestati, quod venire non possum, sed illius Maiestas utatur consiliis Maiestatis Regiae, Domini nostri, in rebus suis afflictis. Deditque illius Maiestatis Sua Maiestas salvum conductum cum tricentis²⁾ equis et totidem personis, sed ita, ne quem delectum in Regno Maiestatis Suae faciat et excursiones in Regnum Hungariae ac nullam molestiam subditis Serenissimi Domini Regis Ferdinandi inferat. Non deerit aduc Suae Maiestatis opera apud Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum, ut ipsos Principes concordari et uniri possit. Misitque iam eius Maiestas Oratorem suum⁴⁾ in Conventum Ratisbonensem, nonnulla illic negotia agere apud Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum. Serenissimus Dominus Rex Ferdinandus habuit nuper Pragae Conventum et antea Snoymae in Marchionatu Moravie. Exinde Ratisbonam illius Maiestas proficiscitur. Mitto etiam Illustrissimae Dominationi Vestrae exemplum litterarum istius Regni Domini Marsalci Magni,⁵⁾ ex quibus intelligere dignabitur, quid ex confinibus illis scribat de hostibus Crucis Christi.

Cesar etiam Thaurice, alias Thartarorum, cum fratre suo Achmath Sultan venit nuper ad sedicionem gravem. Invitaverat enim illum cum Consiliariis suis, quos illi vocant Ulanis et Mursis, in prandium, in quo illum vita privare decreverat vel captivare. Sed ille, presenciens sibi casses et insidias instructas, egre inde elapsus in campum, Consiliariis suis illis omnibus ammissis, qui a Cesare iugulati sunt. In campo vero cogere dicitur exercitus, qui ad illum convenire, licet non multi, dicuntur. Cesar item ille Zawolensis, qui anno superiore a Regia Maiestate manumissus est, firmata fide sua paterna et avita, Moscorum duci indixit bellum et ingentem exercitum cogit, ut illum etiam metuere dicitur Cesar de fossa, Precopensis, alias Thaurice. Dominus Deus Rem Christianam, continuis bellis afflictam et labantem, aliquando reficiat et instauret

pacatamque faciat, dissidiaque ista in ethnicos convertat... Ex arce Gostinensi, feria tercia post conductum Paschae, anno Domini MDXXVIII.

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Cristophorus de Schidlovycz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis
bonus servitor totus manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

3) *Ioannes Tarnowski.*

z) *sic in ms.*

4) *Petrus Opaliński.*

1) *Matthias Drzewicki.*

5) *Stanislaus Chodecki.*

2) *Bona.*

N. 110.

Cracoviae, 9.V.1528.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de auctoribus falsae monetae eliminandis; de progressibus regis Ferdinandi in Hungaria et regis Galliae [Francisci I] in Italia, ubi res ad Ducatum Barensem attinent.*

Sigill.

(*2 annexa: 1. exemplum litterarum regis Ferdinandi ad Szydłowiecki de 29.III.1528 et 2. exemplum litterarum regis Sigismundi I ad eundem Szydłowiecki de 5.IV.1528*)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Ago et habeo Vestrae Illustrissimae Dominationi ingentes gratias pro ea diligentia, cura et sollicitudine, quam Illustrissima Dominatio Vestra, uti optimus Princeps, in negotiis Reipublicae istius Regni et omnium dominiorum, nempe in perquirenda et eliminanda falsa et adulterina moneta, habere et facere dignata est, captivaveritque Illustrissima Dominatio Vestra quendam Ioachimum Fitel, mercatorem huiusmodi moneta falsa utentem et istic in dominia Illustrissimae Dominationis Vestrae ab eo inventam. Que res iam mihi antea, aduc in Gostinin agenti, a non nullis Dominis Palatinis Prussiae, quibus Illustrissima Dominatio Vestra id innotuerat, cognita fuit. Unde evestigio detuleram eam rem primum Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, per litteras meas et hoc studium operamque Illustrissimae Dominationis Vestrae eius Maiestati commendavi. Deinde etiam scripsi Magnifico Domino Capitaneo Maioris Polonie Generali,¹⁾ ut eius rei debitam faciat inquisitionem et auctores illos, a quibus idem Ioachimus huiusmodi monetam falsam habere se astruit, investiget et similiter assecuret, qui iam facile ex ipso Ioachimo percunctari et deprehendi possint. Licet vero iam non dubito Illustrissimam Dominationem Vestram id demum facturam, quod de equitate esset faciendum, tamen ego rogo Illustrissimam Dominationem Vestram magnopere, dignetur ex ipso Ioachimo iam tandem de auctoribus

huius false monete percunctari, nam iam facile ab illo sciri poterunt. Habitura ob hoc Illustrissima Dominatio Vestra a Domino Deo singularem mercedem, deinde Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro, universeque Reipublice istius Regni ac dominiorum suorum subditisque omnibus non vulgariter gratificabitur.

Non dubito vero, quia Magnificus Dominus Castellanus Posnaniensis et Capitaneus Maioris Polonie Generalis, monitus primum litteris meis et deinde Illustrissimae Dominationis Vestrae, in ea re debitam facturus est diligenciam, ut auctores illi sciri et investigari possint in publicumque prodire, tandem vero tolli et eliminari. Nam hec pestis summo et ingenti damno Regnum hoc et dominia ista afficeret atque igne et gladio hostili peragrata fuissent. Proinde conveniret nobis omnibus, ut hec res eo modo sisteretur.

Aliis item litteris, Konigspergii secunda mensis Aprilis datis, Illustrissima Dominatione Vestra agit mihi gratias pro novitatibus Hungaricis, per me Illustrissimae Dominationi Vestrae perscriptis. Non est opus, quod id tantopere faciat Illustrissima Dominatione Vestra, nam ego facio id libenter, ut id, quod scio scireque possum, nihil Illustrissimam Dominationem Vestram celare vellem coniunctamque horum omnium noticiam cum Illustrissima Dominatione Vestra habere. Exercitus siquidem ille vitor Serenissimi Domini Regis Ferdinandi, potita in Rege Ioanne victoria, ulterius progrediens aliquot arces illius Regis hereditarias per dedicationem actepit, et fines Regni huius attingens aliquot in Scepusio opida Regiae istius Maiestatis, Domini nostri, quibusdam damnis et incommodis affecit. Sed illa rursus damna, moniti a Magnifico Domino Regni Exercitu Capitaneo Generali,²⁾ uti preter scienciam et voluntatem Serenissimi Domini Regis Ferdinandi et Capitaneorum exercitus sui illata, resarcita sunt. Sic igitur nihil hic est, quod Vestrae Illustrissimae Dominationi scribam, preter hoc, quod nuper ex Zarnovyecz per puerum Domini Castellani Gedanensis³⁾ scripsi Illustrissimae Dominationi Vestrae de exercitu Gallorum Regis,⁴⁾ qui Regnum Neapolitanum ingressus sit illudque in suam dedicationem subiugare dicitur. Hoc novum hic recontatur ita esse, et iam ille exercitus non procul esset a Ducatu Barensi etiam invadendo, Sacre istius Reginalis Maiestatis⁵⁾ hereditate. Quam ego rem evestigio prelibatae Reginali Maiestati insinuavi. Interim autem nescio, quid cum illo Ducatu factum sit, an exercitus ille eum invasisset necne. Quicquid intellexero, faciam Illustrissimam Dominationem Vestram certiorem.

Veni etiam huc Maiestatis Regiae litteris iussus, cuius Maiestas id, quod mihi scribere dignatur de non emitendo milite e Regno, Illustrissima Dominatione ex hoc exemplo litterarum Maiestatis Suae intelligere dignabitur. Mitto etiam et aliud exemplum litterarum, a Serenissimo Domino Rege Ferdinando mihi hic allatarum, quibus Maiestas illius de quibusdam nostris querere²⁾ videtur. Sed Maiestas ista Regia Domini nostri mittit ad illius Maiestatem et ad Conventum Ratisbonensem Oratorem suum⁶⁾ in his et aliis negotiis.

De incendio vero isto Cracoviensi scripsi pridie Illustrissimae Dominationi Vestrae. Non puto nunc demum id repetere opus esse. Factum siquidem est ingens damnum, non tamen adeo, ut fama hominum illud efferre videbatur. Heri etiam ex Thuria reversus est hic levis Nuntius Regiae Maiestatis, qui pro salvo conductu ad Cesarem illum Thurcarum⁷⁾ Oratori Regio illuc designato missus fuerat, attulitque litteras huiusmodi

salvi conductus, libenter a Cesare illo datas. Per quem Ibraim Bassa, summus illius Cesaris Consiliarius et Capitaneus, mihi scripsit, et non nulli alii Greci. Respondit imprimis idem Ibraim Bassa ad litteras meas, quibus ei gratias egi, quod in conflictu illo divi Ludovici Regis, cum Cesare Thurcarum habito, duos adolescentes Polonos, illius divi Ludovici Regis aulicos, captos, liberaliter a se donatos et vestitos, scilicet Ioannem Fileczki et Ioannem Maczyeiowski, manumiserit, quorum missione ingentem scilicet sibi famam et gloriam comparasset. Respondit et verbis insinuavit mihi id se libenter fecisse, et si scivisset tunc meos amicos fuisse, liberalius illos donis tractatus cum aliquotcentis nostrorum capti-vis mihi remisisset. Sed quia Arabico caractere litterae illae scriptae sunt, traductis illis in Latinum, per alium ocurrentem mittam illarum exemplum Illustrissimae Dominationi Vestrae, et horum aliorum, quorum litteras actepi. Reffert etiam idem Nuntius, quia Cesar ille exercitus suos in Hungariam parat quam primum invadendam. Dominus Deus Regnum illud nobilissimum ab ea iactura conservet. Is etiam refert Dominum Laski Palatinum a Cesare illo ante suum adventum esse expeditum, cuius profectionem ego illuc factam ut semper egre tuli, nunc demum maxime. Dominus Deus hoc in melius convertat... Ex Cracovia, IX Maii, anno Domini MDXXVIII.

Cristophorus de Schydlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius

a) Eiusdem Vestre Illustrissime Dominacionis totus uti
frater manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Lucas a Górką.*

2) *Ioannes Tarnowski.*

3) *Ioannes Babiński.*

4) *Franciscus I.*

5) *Bona.*

6) *Petrus Opaliński.*

7) *Solimanus II Magnificus.*

Annexum I. Ferdinandus rex Hungariae et Bohemiae ad Christophorum Szydłowiecki, 29.III.1528.

Ferdinandus, Dei gratia Hungarie et Boemie etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie etc., Marchio Moravie etc., Comes Tirolis etc.

Illustris, sincere dilecte.

Reversi sunt ad nos Oratores nostri, iam pridem [per] nos ad Serenissimum Principem Dominum Sigismundum Regem Polonie, Magnum Ducem Lituaniae ac Russie Prussieque, fratrem et sororium nostrum charissimum, missi, nobis referentes vestrum in nos animum et affectiō-nem bonam. Que nobis iam dudum cognita atque perspecta erat, simul atque negotia, que confinia Regnorum Hungarie et Polonie concernunt, vestre cure industrieque esse commissa, et que in hiis pro tempore acciderent, per operam vestram intermedium confici et determinari posse. Quod nobis equidem longe gratissimum fuit. Cum ergo actipiamus personas aliquot in Regno Polonie esse, que complura in nos et nostros impune machinentur et agant, mirari satis non potuimus, et maxime quod Antonius Rincon, factus a fidelitate alienus et profugus, nichil etiam apud Serenissimum Dominum Regem prefatum negotii habens, in eodem Regno manet, gentes conscribit et conduit, conductasque in nos et Regna nostra secum educit, et licet iidem Oratores nostri sepius ob id instete

runt eidem minime inhibitum fuit, ut ab eiusmodi actionibus desisteret, neque cum sit a Serenitate Sua expeditus, domum ire moneatur. Possessionati item nobiles Regni eiusdem, quorum in conflictu proxime per nostros cum Ioanne Scepensi habitu circiter mille a partibus illius stantes fuerunt, necdum sint revocati. Imo et alii post eorundem Oratorum nostrorum dimissionem armati cum Rincone predicto Regnum Hungarie sint ingressi.

Tacemus de iis, que Petrus Sobinski Marsalcus in nostros indebitate patravit. Que omnia etsi cum antiquis federibus, cum Regno illo et Serenissimis eiusdem Regibus factis, pugnant ac discrepant, tamen illa ex consensu et voluntate Serenissimi Domini Regis prefati procedere neutiquam nobis polliceri possumus. Quare vos hortandos duximus enixe, ut in absencia Serenissimi Domini Regis antedicti vos, pro solito vestro in nos studio et sincero animo, sic erga nos exhibere et gerere velitis, ut amor et fraternitas ac necessitudo et bona vicinia, imo et federa utrinque facta, illesa permaneant nichilque in Regno illo de cetero fiat, quod predicta quovis modo ledere possit, sicut vos indubie facturos esse clementer confidimus,^{a)} cum et antea semper res nostras officiose quidem adiuveritis et promoveritis, vosque illas in posterum quoque curaturos esse non dubitamus. Quod nos quoque erga eam, ubi oblata fuerit occasio, omni gratia nostra recognoscemus. Datum in civitate nostra Zoyma, die XXIX mensis Marcii, anno Domini MDXXVIII, Regnorum vero nostrorum secundo.

V. Bernardus Eps. Trid. Canc.¹⁾

Ferdinandus
Ioannes Maius.

a) *in ms. confudimus*

1) *Bernardus de Cles ep. Tridentinus, Ferdinandi I cancell.*

*Annexum II. Sigismundus rex Poloniae ad Christophorum Szydłowiecki,
5.IV.1528:*

Sigismundus, Dei gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuaniae, Russie tociusque Prussie et Mazovie etc. Dominus et Heres.

Spectabilis et Magnifice Domine, sincere nobis dilecte.

Pergratum est nobis officium Sinceritatis Vestre, quo in perscribendis ad nos consiliis suis fidem et integritatem suam erga nos testatam facit. Que ex hiis, quas ad eam per Giersdorff et alias scripsimus, nostram quoque sentenciam non dissimilem consiliis Vestre Sinceritatis fuisse cognoscet, et curare velit diligenter ea, que prioribus Vestre Sinceritati scripsimus de subditis presertim nostris, ne deinceps ad aliena stipendia profiscantur, et ubi aliqui Capitanei seu Magistri, aut alii militum ductores, auderent quicquam contra edicta et prohibicionem nostram, illos fidei sponsione ad comparendum coram nobis obligare non differat, et habitu mutuo consilio cum Reverendissimo Domino Episcopo Cracoviensi¹⁾ atque aliis Consiliariis, cum quibus commode potuerit, omnia, que ad nostrum honorem et nostrorum dominiorum commodum opportuna videbuntur, ut alias semper consuevit, cum solita dexteritate et diligentia faciat foeliciterque valeat. Datum Wilne, dominica Palmarum, anno Domini MDXXVIII.

1) *Petrus Tomicki.*

Cracoviae, 10.V.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de morte Ioannis [Zapolya] Hungariae regis; de Elisabetha Brandenburgensi; de Basili Armeni ex Turcia reditu; de litteris ab eo allatis, quarum exempla duci transmittit.

Sigill.

(3 annexa: 1. exemplum litterarum interpretis sultani Ionusbey, Constantinopoli, 22.III.1528. 2. exemplum litterarum Ibrahim Bassae, primi visiri, 24.III. 3. exemplum litterarum Andreae Carcocaudilla, ad Szydłowiecki ex Turcia allatarum 26.III.1528.)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Quod Illustrissima Dominatio Vestra cum coniuge sua ac filia charismis quam rectissime valet, id mihi auditu iucundissimum est. Illustrissime Princeps, cum Cracoviam sexta Maii, ut prioribus meis scripserim, appulisse, ibi Vestrae Illustrissimae Dominationis tabellarium cum literis inveni, quem cum absolutum dimissem, eo temporis momento alter supervenit. Quo cum mihi Illustrissima Domination super duabus Serenissimis²⁾ Domini Ferdinandi Regis victoriis, in quarum altera ut Capitanus Bodo Ferenc captus, in altera ut Serenissimus Dominus Ioannes Rex haud longe a Casovia caesus, mihi exempla misit. De quibus ego Illustrissimae Dominationi Vestrae ingentes gratias ago, quamvis ego antea Illustrissimae Dominationi Vestrae perinde, ut reor, tempestive huiusmodi tragedias bellicas descripsi, ut me a nemine in hoc apud Illustrissimam Dominationem Vestram anteversum existimarem, proinde districtus et incertus sum, si huiusmodi meae Illustrissimae Dominationi Vestrae redditae sunt necne.

Porro quod exemplum literarum Illustrissimae Dominae Elizabethae Principis Brandenburgensis, affinis suae, ad se missarum mihi imparcit, id libertius visum legi eo nomine, quod huiusmodi abitus Suae Illustrissimae Dominationis aliqui nescio quo modo non interpretati sunt. Porro cum rem, quamvis non plane et ex integro, ut se habet, ex eiusmodi exemplo literarum, mihi per Illustrissimam Dominationem Vestram misso, subodorasse, novi, ut ex huiusmodi vulgaribus tricis et fabulis expeditus, quomodo, cum eius rei mencio inciderit, me gerere debebo. Tamen Illustrissimam Dominationem Vestram rogatam velim, si commode fieri potest, mihi ex nomine causam huiusmodi discessus a marito suo denunciet. Tamen utcunque habet, non dubito, quin Illustrissima Domination Vestra huiusmodi discordiam, quae sua industria et singularis prudencia est, cum caeteris Dominis et amicis ita componet, ut res et dignitas exposcere videbuntur.

Caeterum Illustrissimae Dominationi Vestrae significandum duxi, quomodo Wassil Armenus, nuncius et interpres Serenissimi Domini Regis mei, nudius tercius ab Imperatore Turcarum¹⁾ reversus cum salvo conductu pro Oratore nostro, Domino Castellano Lublinensi,²⁾ qui his

proximis diebus hinc recta in Turciam iturus in legacione est. Idem Armenus interpres mihi item ab Ibrahym Bascha literas Arabicas attulit, simul cum exemplo Italico, quod Vestrae Illustrissimae Dominationi Latine redditum his inclusum transmitto. Scripsoram nimirum eidem Basche gratias agens, qui nobiles Pileczky et Matieowsky, dum in illo infoelicissimo conflictu, quo Serenissimus Dominus olim Ludovicus occidit, in captivitatem devenissent, adeo humaniter tractatos liberos e captivitate misisset, et dein sciscitaturus, si Dominus Schlik Cutnawer Prussinowsky et alii, illius olim Maiestatis Serenissimi Ludovici ab aula, in vivis essent, quo inventi redimi possint. Cui praeterea nonnulla munuscula non adeo rara miseram. Is ad meas tum literis, tum nuncio responsum dedit in haec verba: Si novissem illos duos adolescentes, a me manumisso, charos vel necessitudine iunctos Domino Cristophoro fuisse, in infinitum liberalius ipsos tractassem, datis illis trecentis, aut amplius quadrungentis captivis, quos sibi delegissent. Idem Armenus, deosculata Cesaris manu, ab eodem sexaginta aureis et veste auro intexta, quam sagum vocant, donatus est. Ab Ibrahym Bascha item vestem auro intertextam dono accepit. Idem interpres ex eodem Ibrahim Bassa didicit Caesarem maximam vim gencium coegisse ac in procinctu esse, quam vel praesens conspexit, quibus Pannionam iterum plus satis afflictam debellaturus invadat, quodque omnia oppida et pagi funes, remos, navigia et id genus arma parant, item commeatum, ordeum et omnis generis frumenta ad ripam Danubii convehentes.

Postremo versatus interpres ab Ibrahim Bascha edocutus est Caesarem esse eius animi, ut cum Serenissimo Domino nostro foedus non solum ad quinquennium, sed usque ad decennium percuciat. Alia, quae alias habui, Vestrae Illustrissimae Dominationi aliis meis literis perstrinxii. Regia et Reginalis³⁾ Maiestates cum charissimis suis pignoribus in Magno Ducatu Lituaniae recte valent... Datum in arce Cracoviensi, decima Maii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Cristophorus de Schidlowiecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis, Regni Poloniae Cancellarius etc.

a) Illustrissime Dominacionis Vestre bonus servitor manu
sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

2) *Ioannes Tęczyński.*

z) *sic in ms.*

3) *Bona.*

1) *Solimanus II.*

Annexum I. Ionusbei ad Christophorum Szydłowiecki, 22.III.1528:

Ihonusbei, fidelissimus interpres Magni et Inclytissimi Imperatoris Sultani Suleyman, Illustrissimo et Magnifico Domino Cristophoro de Schidlowiecz, Castellano et Capitaneo Generali Cracoviensi et Regni Polonie Cancellario Summo.

Post multas humillimas recommendaciones et infinitas salutaciones, significo Vestre Illustratati in Curia magna et excelsa Cesareae Maiestatis, nostri Invictissimi Imperatoris, Vasilum Armenum, Nunctum Serenissimi Regis Polonie, comparuisse cum litteris tam Sue Maiestatis, quam Vestre Illustratatis. Medio cuius Nunctii, iuxta ingenii nostri vires, omnem adhibuimus diligenciam, qui possit consequi audienciam iuxta contenta litterarum Serenissimi Regis, et expedivi cum ea celeritate, qua maxime

potui. Similiter obtulit litteras Vestre Illustrissime Dominationis Illustrissimo Ibrahim Bassa, Superiori nostro, quas transtuli in idioma nostrum de verbo ad verbum, legique illas in conspectu ipsius, et omnia illa amoris insignia eidem transmissa fuere, illi quam gratissima, et exinde Illustrissimam Dominationem Vestram non mediocriter commendavit. De quibus lacius in litteris ipsius Ibrahim Bassa assequi poterit. Nec aliud quicquam per presentes occurrit, solum ad omne commodum Illustritatis Vestre [me] offero paratissimum et inveniet me semper inclinatissimum Excellencie Vestre... Et bene valeat. Datum in Constantinopoli, die XXII Marcii MDXXVIII.

Annexum II. Ibrahim Bassa ad Christophorum Szydłowiecki, 24.III.1528:

Ibrahim Bassa, Dei gratia Primas Vexirius, Secretarius et Consiliarius Gloriosi, Magni et Invictissimi Imperatoris Sulthan Suleyman, Caput et Gubernator tocius Imperii Sue Cesaree Maiestatis, necnon Superior omnium subditorum et Baronum eius.

Vobis Christophoro de Schidlowiecz, Illustrissimo Generali Capitaneo Cracoviensi et Regni Polonie Cancellario, post infinitas et debitas salutaciones, notum facimus, quomodo per Nuncium ad Cesaream Maiestatem nostri Magni Imperatoris a Serenissimo Rege Polonie missum nobis fuerunt presentate littere Vestre Illustritatis, ex quibus perspecta est gratia, benevolentia, amor et affectuosa salutacio, similque presentibus demonstravit Vestra Illustritas cor suum excellens cum oblatione magnanimorum factorum. Que omnia habita sunt gratissima et acceptabilia non sine summa leticia.

Similiter Vestre Illustrati declaramus eum amorem, benevolentiam et affectionem, quantum in nobis erit, causa illius humanitatis, quam Vestra Illustritas exhibuit in nos. Et licet divina providentia sic volente, in magno dominio et imperiali terra Cesaree Maiestatis nostri Invictissimi Imperatoris nulla res est, cuius sit magna penuria, immo omnium est summa abundantia, tamen in omnibus istis nil deficit, ut si contigerit aliqua necessitas in dominis et territoriis vestris, eam summat Vestra Illustritas de nobis securitatem, quod propter hanc Vestre Illustritatis exhibicionem vicissim se eidem offerimus in maiori effectu. Nec plura ad presens... Datum in Magno Pallatio solite nostre residentie Constantiopolitane, secunda lune regie, anno nostri Prophete DCCCCXXXIII, anno Messie Ihesu MDXXVIII, die XXIIII Marcii.

Annexum III. Andreas Carcocaudilla ad Christophorum Szydłowiecki, 26.III.1528:

Illustri Domino, Domino Christophoro de Schidlowiecz, Castellano et Capitaneo Cracoviensi, Regni Poloniae Cancellario.

Illustrissime, Excellentissime et Magnificentissime mi Domine, post multas salutaciones et manuum osculacionem, ego, servus, humillime me eidem commendo.

Ad praesens hoc sit ad significandum Illustrissime Dominationi Vestre, quomodo preterito tempore date fuerunt in domum meam littere eiusdem. Ego autem rediens cum eas legisset, mox contuli me cum Ionusbey, interprete Cesaris, ad Illustrissimum Ibrahim Bassam. Iстic

iussi legere ipsi Bassa copiam litterarum eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre, nam originales litteras, cum Bassam ipsum hic non reperiissemus, iuxta commissionem Illustrissime Dominationis Vestre eidem remiseram. Mox ille, audita litterarum Illustrissime Dominationis Vestre copia, quesivit de Domino Iheronimo Schlyk et aliis, de quibus mihi Illustrissima Dominatio Vestra significaverat. Eodem eciam instanti mandavit ipse Bassa, ut quererentur idem²⁾ Domini et causa Illustrissime Dominationis Vestre citra moram liberarentur. Itaque nos huc et illuc sciscitantes, summa cum diligencia eos quesivimus, nec vel unum illorum invenire potuimus. Nihilominus iugiter et modis omnibus sciscitabimur. Deus Optimus concedat nobis eam graciam, qui vel unum illorum alicubi assequi valeamus. Nam Ibrahim Bassa cum accepisset eos esse amicos Illustrissime Dominationis Vestre, vehementer liberacionem eorum causa Illustrissime Dominationis Vestre ambiebat.

Hoc mane alias a Vestra Illustrissima Dominatione litteras per Nuncium Sacre Regie Maiestatis accepi, e quibus intellexi, quid ab eadem mihi fuerat demandatum. Itaque eo die, cum idem iuvenis huc appulisset, usi sumus omni diligencia una cum eodem Ianusbey interprete et eum tenuimus modum. Quesivimus eum ex parte Illustrissimi Ibrahim Basse procuravimusque illi aditum ad eundem Bassam, et obtulit res transmissas ab Illustrissima Dominatione Vestre Sue Illustrati. Que ostendit se omnium eorum fuisse gratissimam, et hoc non tantum causa latoris presencium, quantum amore Illustrissime Dominationis Vestre, cuius facta optima mencione plerunque eam commendavit. Proinde tantum sumus cooperati cum prefato Ianusbey, quoisque idem Vassyl Nuncius in conspectum Cesaris admissus, osculatus est manum Magni Imperatoris et iussit illi exhiberi magnum honorem. Qui ultra eam clemenciam, qua eum est prosequutus, et veste auro contexta et 60 ducatis donavit. Illustrissimus eciam Ibrahim Bassa, respectu Illustrissime Dominationis Vestre, ei similem vestem contulit. Quem, expeditis et consecutis hiis omnibus, que ei in commissione regia assignata erant, qua maxime potuimus sedulitate et celeritate expedivimus. Quorum omnium erit exhibitor idem Nuncius Vassil Armenus.

Ego eciam post aliquot dies istuc ad Illustrissimam Dominationem Vestram, una cum servo Illustrissime Dominationis Vestre Manolli, meo filio, ad osculandam manum Illustrissime Dominationis Vestre veniam. Cuius bone gracie nos humillime commendamus et supplicamus, velit nostri in conspectu Regie Maiestatis piam memoriam facere, cuius Maiestas dignaretur nobis dare hominem in confinibus, nempe in civitate Leopoliensi vel Camenecensi, vel ubi fuerit visum Illustrissime Dominationi Vestre, ut ego, servus Illustrissime Dominationis Vestre, possim me istuc conferre incolmis in conspectum eiusdem. Commissum namque mihi est ex parte Magni Imperatoris Sultani Suleyman, quod multa istic pro Sua Cesarea Maiestate comparare debeam, et ad conficiendam hanc rem tradita est mihi haud modica pecuniarum summa. Aliud nihil ad presens occurrit... Datum in Constantino, die XXVI Marcii, MDXXVIII.

Servus fidelissimus Andreas Carcocaudilla
in Constantinopoli.

2) sic in ms.

Cracoviae, 19.V.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

mittit litteras salvi conductus pro Casparo Rechemberg et Valentino Wiesner; significat nova aliqua ex Hungaria, de Turcis, de novo apud Cracoviam incendio et de mille Tartaris a Polonis profligatis.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae litteras salvi passus pro Nobilibus Casparo Rechemberg et Valentino Wiesner hoc exemplo, ut Vestra Illustrissima Dominatio dedit. Sed certe non consuevi ego litteras quascunque absente Maiestate Regia sigillare, nam sub annulari sigillo omnes litterae nunc expediriuntur. Tamen ego contemplatione Illustrissimae Dominationis Vestrae libens et gratius huiuscmodi litteras obsignavi.

Dedi proximis diebus ad Illustrissimam Dominationem Vestram trinas litteras, in quibus nonnulla continebantur, ad quae expectabam responsum. Tamen nihil mihi scribit Illustrissima Dominatio Vestra, an pervenerunt ad manus illae litterae necne. Rogo plurimum Illustrissimam Dominationem Vestram, dignetur super illis rebus per opportunitatem respondere. Et si quid habet rerum novarum, velit me participem facere. Apud nos nichil novi est preter ea, quae in Ungaria aguntur. Gentes Serenissimi Domini Regis Ferdinandi oppugnant nonnullas arces sui adversarii. Ipse autem aduc in Polonia est. Turcos aiunt esse in castris finitimus Ungariae, vel potius in ipsa Ungaria. Scripsi nuper, quod arsit Cracoviae, arsit iterum heri apud Cracoviam in duobus locis, quod vidit is puer Illustrissimae Dominationis Vestrae. Si non affuissem cum familia mea, accepissemus magnum damnum.

Et tamen ex altera parte venerunt bona nova, quod cum hiis diebus Maii excurrissent mille Tartari, viri suae gentis egregii ac strenui, omnes a Domino Iskrzycki et ab altero Capitaneo Regiae Maiestatis sunt profligati. Captus est unus de sanguine Imperatoris eorum cum XXX insignioribus. Videt Illustrissima Dominatio Vestra, quod sepenumero calamitatem voluptas sequitur. De hiis captivis et profligatis habui litteras a Domino Magno Marszalco,¹⁾ a Domino Palatino Sandomiriensi²⁾ et a Domino de Tarnow, Generali Capitaneo exercitus regii... Datum Cracoviae, 19 Maii, 1528.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestrae
Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius,

^{a)} Vestre Illustrissime Dominacionis totus bonus servitor
manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

1) *Stanislaus Chodecki.*

2) *Otto Chodecki.*

Vilnae, 22.V.1528

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

de re monetaria; novitiae ex Hungaria de regibus Ferdinando et Ioanne;
de legatione Moscovitica ad papam in Urbe Veteri (Orvieto) recepta;
de successibus imperatoris [Caroli V] in Italia, de rege Galliae [Francisco I], de Tartaris etc.

Vest. sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Cum nuper ex Polonia ad Lythuaniam iter agerem, concesseram necessario ad patrimonium meum Szambok revisendum, in quo ut dimidiatum mensem absumerem, incommodissimum anni tempus, simul et summa rerum ad victum pertinencium caritas, que in Lithuania esse predicabatur, michi persuaserunt. Interea vero nichil me eque sollicitum habebat, quam ne quidpiam ministerii michi ab Illustrissima Dominacione Vestra iniuncti absens^{a)} negligerem. Dum itaque ea sollicitudine die noctuque torqueor, simul et celum clemencius admonuisset, ut iter arriperem, prorui me ex latebra mea et continuato itinere Nonis Maii Vilnam, atque ita et in conspectum Serenissimi Domini Regis et famulatum Illustrissime Dominacionis Vestre perveni. Cumque ex pulvere et sole vix adhuc^{b)} respirassem, ecce Nipczicz cum litteris ab Illustrissima Dominacione Vestra, quas XXVI die Marcii in negotio monetario ad me scribi iusserat, et sacculo nummis referto, in quo 43 florenorum summa per 30 grossos computatorum, cum aliquot grossis, continebatur. Annua vide-licet peccunia, qua Illustrissima Dominacio Vestra, nullo meo merito, sola duntaxat insita sibi virtute, clementia et liberalitate me faventissime sustentare dignata est. Ego vix unquam eum casum vel occasionem michi obvenire posse^{c)} arbitror, quo tanto favori et munificentie Illustrissime Dominacionis Vestre aliquibus meritis meis respondere possem, tamen amplissimas gratias eidem et ago et habeo, quoniam reffere non est virium mearum, sed rem concludam Vergiliiano versiculo^{d)}: Dii (si qua est celo pietas, que talia curat) premia digna ferant.

Quod autem ad negotium monetarium attinet, non dubitabam, quin ab Regia Maiestate iam esset responsum Illustrissime Dominacioni Vestre. Attamen sciscitatus sum a Domino Ioanne Choyeński, Archidiacono Cracoviensi, Secretario Regio, qui nunc (absentibus Polonie sigillatoribus) officio scribendarum et respondendarum epistolarum preest, quenam esset Regie Maiestatis de moneta cudenda sententia et voluntas. Respondit michi eandem Maiestatem Regiam se nolle neque posse^{c)} mutare Senatus consultum, quod de cudendis nummis in novissimo Conventu Polonie conscriptum est, maxime absentibus Polonie Senatoribus, quorum ne unus quidem Suam Maiestatem huc ad Lithuania secutus est. Sed hanc summam difficultatem rei nummarie publicaque incommoda, que ego ex exemplari (litterarum ad Regiam Maiestatem ab Illustrissima Dominacione Vestra scriptarum) ad me misso intellexi, Deus et tempus gubernabit, Illustrissima quoque Dominacio Vestra, pro admirabili acumine ingenii sui, diriget et moderabitur, quandoquidem et alias multis pro-

cellis et turbulentis tempestatibus laborans, semper tamen et certum et rectum cursum (Deo propitio) tenuit. Ego, si michi quepiam esset auctoritas vel facultas, omnem meam curam et cogitationem in hoc consumerem, ut iuste et honeste voluntati Illustrissime Dominacionis Vestre fieret satis.

Res Polonice et Lithuanice (Deo gratia) satis tute, tranquille nunc sunt. A Turcis ne suspicio quidem ulla metus appetet, quamquam certum sit eos in armis esse, sed quod clima aggressuri sunt (ut eorum mos est), non prius sencietur, quam omnia cedibus et incendiis ardebunt. Tartari post acceptam superioris anni hyemis plagam, per Ducem Constantinum¹⁾ eis illatam, hactenus ne apparuerunt quidem. Dux Moskorum²⁾ quiescit. Regi Ferdinando satis adhuc negotii cum Regno Hungarie superstest, quamvis Ioanne Rege pulso iam debellatum esse existimat. Itaque iactatur, cursitat, nunc Moraviam, nunc Bohemiam pervolat, amicos, tam veros quam fictos, litteris et Nunciis interpellat, nec feriatur. Quid proficiet, exitus demonstrabit. Hic satis frequens fama est, eaque a vero non prorsus abhorrens, Regem Ioannem a magna parte Hungarorum accersiri ipsumque Regem a Tarnow profectionem adornare. Videbimus, si Deus concederit, quorsum evadet hec tragedia. Serenissimus Dominus noster nequaquam vult se negotio immiscere, tametsi a Ioanne Rege, et modo me hic presente, per Oratorem suum Monachum, Archiepiscopum Colocensem,³⁾ de suspectis et consiliis sibi ferendis Suam Maiestatem instantissime sollicitaverit. Itaque nulla nec suspectiarum, nec consilii spe accepta, Monachus nudius tercius dimissus est et hinc abiit.

Ex Germania mira huc nuntiantur, sed nichil dubito, quin ea certius sciat Illustrissima Dominacio Vestra, cuius ditioni Germania propinquior est, et habeat illic suos, qui eam de omnibus rebus, que ibi sunt, faciant certiorem. In Italia simillimum vero est circiter Marcium et Aprilem menses Caesaris res imminutas, Regis vero Gallorum auctiores fuisse. Ita michi retulerunt Mosquorum Ducas Oratores, qui anno superiore ad salutandum Papam⁴⁾ Cracovia profecti erant. Nunc hoc mense ex Italia redierunt, et in itinere mecum congressi, uno eodemque die, quo et ego, Vilnam ingressi sunt. Et absuntis hic aliquot diebus, refectisque ex tam longo itinere equis, nuper ad Principem suum hinc profecti sunt. Ducunt secum aliquot Italos, variarum arcium artifices. Est cum eis et Hyspanus quidam, Cantaber natione, vir, ut ex forma corporis et sermone conicere michi licuit, in Hyspanie, Gallie et Italie rebus et bellis diu versatus. Itaque ex sermonibus, quos multos per otium in itinere, tum cum Moskis, tum cum Italis, tum cum hoc ipso Hyspano habui, ea percepit de Caesare et Gallorum Rege, que superius adnotavi. Illud certissimum videtur esse, in quo omnes consenciebant, Papam a Caesarianis salutem suam auro redemisse, et persolutis 200 milibus aureis nummis, relicta Roma, liberum illinc exiisse seque ad oppidum dicionis sue, Orviet vulgari Italico, Urbs Vetus Latino sermone dictum, contulisse. Distat id oppidum ab Urbe 40 milibus passuum, situ et natura egregie munitum edificisque splendidum. In eo oppido Legati ipsi Mosquorum⁵⁾ ad audiencem Pape penetrarunt, non tamen ea pompa et ceremoniis, quemadmodum Rome florentibus rebus fieri solitum erat. Nec tamen ad oscula beatissimorum pedum procidere volebant, ut nostrates christiani solent, sed sine fastu, expositis mandatis Principis sui, paucos post dies absoluti et dimissi ab eo fuerant.

Ultra Thanaitane Tartarie Princeps, Schachmet Chan cognomento, qui super 20 annos hic in Lythuania captivi loco detinebatur et anno

superiori, benignitate et clementia Serenissimi Domini nostri Regis, non contemnendo auri atque argenti pondere, pannis preterea pellibusque donatus, at^z) sedes et gentem suam hinc dimissus fuerat. Iam dicionem suam, que in remotis Schytie campis est, attigit, cum summa suorum charitate exceptus. Mittit huc ad Regiam Maiestatem Oratores Sue Maiestati gratias actum pro eximia eius in se benignitate et munificencia, simul pollicens eosdem amicos eosdemque hostes cum Sua Maiestate communes¹⁾ se habiturum. Oratores nondum huc attigerunt, sunt tamen in propinquuo. Et precursum huc miserunt, quem ego vidi, et ea, que perscripsi, referentem coram audivi. Ferunt duas reliquas Tartarorum civitates, que Orde eorum lingua vocantur, quod aut cetum aut congregationem significat, se sponte eidem Schachmeto Princi subiecisse. Unde tantis viribus auctus est, ut ultra 200 equitum milia^g) ad bellum educere poterit. Ego, dum Illustrissime Dominacioni Vestre rebus novis scribendis operam insumo gratificarique studeo, anxie timeo, ne verboseitate hac mea ei molestus sim. Sed eius rei facillimum remedium esse video, si nugas has meas aut concerpserit aut in ignem abiecerit. Parva iactura erit unius papiri... Datum Wilne, 22 die Maii, 1528.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
humilis servus
Ioannes Szamboczski.

- a) absens *super lineam additum.*
- b) adhuc *super lineam additum.*
- c) posse *super lineam additum.*
- d) versiculo *correctum ex versuto (?)*
- e) neque posse *super lineam additum.*
- f) communes *super lineam additum.*
- g) milia *super lineam additum.*
- z) sic in ms.

- 1) Ostrogski.
- 2) Basilius III Ioannides.
- 3) Franciscus de Frangepanibus.
- 4) Clemens VII.
- 5) probabilititer Eremej Trusov et Sarap Lodygin.

N. 114.

Cracoviae, 24.VI.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de regis Ferdinandi machinationibus quibusdam contra Philippum land-gravium Hessiae et Ioannem electorem Saxoniae.

Sigill.

(Annexum: Ferdinandus rex Hungariae et Bohemiae ad Christophorum Szydłowiecki, de die 27.V.1528)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Quamvis non dubito, quin Illustrissimae Dominationi Vestrae innotuit, quomodo Serenissimus Dominus Ferdinandus Rex cum nonnullis

Principibus Electoribus Romani Imperii, tam sacris quam prophanis, conspirasset contra Illustrissimos Dominos Phillipum Lantgravium Hesiae et Ioannem Saxoniae Electorem Imperii. In quem finem, id Illustrissimae Dominationi Vestrae ex exemplis literarum impressis hic inclusis non ignotum, si prius non novit, erit. Quid sibi huiusmodi machinaciones volunt, ego non possum divinare. Quam ob rem, cum Illustrissima Dominatio Vestra eiusmodi ingenia providet et melius me, ut expertior in his, novit, eam rogo, mihi in hoc sentenciam suam, cum dabatur facultas, transcribat. Quo mihi rem pergratam factura est. Datum in arce Cracoviensi, 24 Iunii, anno Domini MDXXVIII.

Cristophorus a Schidlovietz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis, Regni Cancellarius etc.

Annexum I. Ferdinandus rex Hungariae et Bohemiae ad Christophorum Szydłowiecki, 27.V.1528:

Ferdinandus, Dei gratia Hungarie et Bohemie etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie etc., Marchio Moravie, Comes Tirolis etc.

Illustris, sincere dilekte.

Pervenerunt ad nos littere de nona huius, responsive ad nostras, quibus denuo nobis offertis serviendi promptitudinem et rerum nostrarum curam, quas scimus vobis et fuisse et esse cordi beneque et diligenter promoveri et agi, nobisque persuademus eas vos taliter perinde isthic curaturos, ut digne a nobis aliquando sint vobis habende gratie. Ceterum scribimus nonnulla in presentiarum Serenissimo Principi Domino Sigismundo Regi Polonie, Magno Duci Lithuaniae ac Russie Prus sieque, fratri et sororio nostro charissimo, de quibusdam Regni Polonie subditis, et precipue Hieronimo de Lasko, super diffidacionibus binis, quarum alteram nobis, alteram vero Regni Hungarie subditis, precipue Transylvanie, misit sicut tam ex earum quam litterarum nostrarum copiis inclusis lacius intelligitis, hortantes vos plurimum, ut litteras annexas Serenitati Sue, una cum aliis ad Serenissimam Dominam conthoralem suam,¹⁾ sororem et consanguineam nostram charissimam, scriptis transmittere et apud utramque Serenitatem res nostras, ut soletis, agere et promovere velitis, sicut in vos clementer confidimus. Et vicissim erga vos singulari gratia nostra, dum dabitur occasio, recognoscemus. Datum in arce nostra regia Pragensi, die XXVII mensis Maii, anno Domini MDXXVIII.

Ferdinandus.
Bernardus Episcopus Tridentinus
et Cancellarius.²⁾
Ioannes Maius.

1) *Bona.*

2) *Bernardus de Cles.*

Cracoviae, 24.VI.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de variis refert, inter cetera mittit exempla litterarum ad regem Ferdinandum et ad incolas Regni Hungariae, a Hieronymo Łaski ad eos datarum quibus idem Łaski nomine regis Ioannis Ferdinando aper-tum bellum declarat et regnicolas Hungariae ad oboedientiam regi Ioanni praestandam hortatur.

Sigill.

(Annexa: 1. exemplum litterarum Hieronymi Łaski ad regem Ferdinandum; 2. ad incolas Regni Hungariae de die 10.IV.1528, cum versione germ., et duae schedulae)

H B A, B 2, K.351.

... Illustrissime Princeps etc.

Accepi trinas literas uno die, videlicet quinta praesentis datas, dici nequit quam humanissimas et amicissimas. In quarum unis dignata est mihi Illustrissima Dominatio Vestra describere casum et interitum Christophori, Capitanei Naklensis, adolescentis optime spei, dolorem item suum, quem hoc nomine concepit. Illustrissime Princeps et Domine, Frater maior Colendissime, non possum et ipse non vehementer indolere de tam infoelici eventu et morte optimi adolescentis, hocque magis dolore discrucior, quod ab Illustrissima Dominatione Vestra plurimum commendatur policebaturque de se magnam aliquam spem. Preterea erat ille affinis meus, natus enim erat matre sorore mea. Sed cum nihil est felix ac perpetuum scimusque nos quoque morituros, aequius ferendum est hoc, quod accidit homini et mortali. Rogo igitur plurimum Illustrissimam Dominationem Vestram, dignetur casum hunc, qui accidit, aequo ferre animo, presertim cum in diligencia et studio Illustritatis Vestrae nihil defuit, quae, ut est humanissima, et medicos et omnia necessaria pro sanando et servando homine adhibuerat. Quod vero Livoniensis elapsus est, non miretur Illustrissima Dominatione Vestra. Aliter enim rebus et vitae suae consulere vix potuisset. Dominationi autem Vestrae Illustrissimae ingentes ago gracias, quod dignata est hunc casum illius adolescentis mihi describere et dolorem hunc, quem habet, in sinum meum effundere.

Quod autem scribit mihi Illustrissima Dominatione Vestra aliam cau-sam non habere, propter quam a Domino et marito suo discesserit Illustrissima Princeps Elizabeth,¹⁾ nisi quod Illustrissimus Dominus Marchio²⁾ interdixisset, adhibitis eciam poenis, ut illa Luteranismum desereret, eandem ipsam causam discessus sui accipio. Ago tamen et habeo gracias, quod non gravata est Illustrissima Dominatione Vestra de hac quoque re mihi respondere.

Quae vero scribit Illustrissima Dominatione Vestra de Illustrissimo Domino Lanthgravio Hessiae,³⁾ eadem ipsa eciam ad nos mercatorum literis perlata sunt. Sed quia mercatores non semper certa scribere solent, rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, ut cum habuerit ydoneum tabellarium, dignetur mihi perscribere processum et successum huius rei, sicuti hoc mihi eciam policeri dignetur. Apud nos fama fertur,

quod aliquae gentes in Germania conduci deberent pro Serenissimo Rege Ioanne. De hoc si quid veri habet Illustrissima Dominatio Vestra, non gravetur, rogo, aliquando mihi scribere.

Rex Ioannes adhuc in Tharnow agit. Arx sua haereditaria Tranczensis oppugnatur a gentibus Serenissimi Regis Ferdinandi. Ego certe adhuc intelligere non possum, in quo spem habet Serenissimus Rex Ioannes, nisi forte in Imperatore Thurcorum,⁴⁾ cum quo pacem fecit. Dominus Laski fuit Orator Regis Ioannis apud Thurcum, a quo rediens denunciavit bellum Serenissimo Domino Regi Ferdinando et subditis eius Regni Thransilvaniae. Cuius rei testes literas misit mihi proximis diebus Serenissimus Dominus Rex Ferdinandus. Harum literarum placuit exemplum mittere Vestrae Illustrissimae Dominationi. Sed hoc factum (incredibile est), quam pessime habet Regem nostrum et omnes, qui non libenter vident christiani nominis hostes contra christianos duci. Adhuc tamen de ipsis Thurcis et Tartaris et Moldavis, de quibus Dominus Palatinus Syradiensis mencionem facit, nihil auditur, quod deberent Hungariam ingredi. Sequentes menses Iulius et Augustus rei exitum monstrabunt.

Quod vero Illustrissima Dominatio Vestra scribit, quod errore illorum, qui officinae monetariae prepositi ministrique sunt, factum est, ut sparsi sint non boni grossi sub imagine regia, res ita certe se habet, quia id ipsum aliunde didici. Sed eo modo, quo Illustrissima Dominatio Vestra scribit, hic error poterit vitari et arceri potissimum per illam signaturam laminarum.

Libentissime video, quod Illustrissima Dominatio Vestra condescendere dignata est in vota regia de cudenda moneta, eritque hoc Maiestati Regiae gratissimum. Quae procul dubio eciam curabit placere Illustrissimae Dominationi Vestrae, quam non secus ac filium amat cupitque ex animo auctionem fortunarum eius.

Literas illas salvi passus libentissime gratissimeque misi Illustrissimae Dominationi Vestrae. Cui nedum in hoc, quod minimi momenti est, sed eciam in aliis^{a)} modis omnibus pro virili mea placere et inservire cupio. Exigit enim hoc mutuus amor et coniunctio nostra.

Causam, ob quam Illustrissima Dominatio Vestra literis meis tardius respondere dignata est, in optimam partem accipio, nec est cur eam ob rem Illustrissima Dominatio Vestra angi debeat.

Quae vero dolet Cracoviae arsisse, facit Illustrissima Dominatio Vestra ex innata virtute. Suppositus postea erat in aliquibus locis suburbiorum ignis, tamen nullum ob hoc (gracia Deo) damnum accepimus. De incendiariis istis et suppositoribus ignis fit magna diligencia et propositum est per me premium, qui tales indicaverit. Sed nullum in hunc usque diem habemus tales. Apprehensi erant ex suspicione, sed nihil certi dixerunt in suis examinibus.

Ego non aliunde ortum hoc malum esse suspicor, nisi quod superioribus mensibus confluxerat huc magna vis peditem et latrunculorum diversarum nacionum. Erant enim Bohemi, Slesitae, Moravi, Poloni et Hungari. Huiuscemodi faeci hominum nihil est rapacius et magis impium, maxime cum egent. Metuo, ne tales propter suum quaestum ignes dominibus supponerent. Si quos tamen eius facinoris vere reos deprehensos accipiam, non caelabo Illustrissimam Dominationem Vestram.

De novis, quae in scedula mihi perscripsit Illustrissima Dominatio Vestra, ago eidem et habeo maximas gracias. Apud me nulla nova sunt, nisi quod Sacra Maiestas Regia cum suis omnibus optime valet. Serenis-

simus Dominus Rex Ferdinandus misit nunc insignem Oratorem, Magnificum Dominum Ioachimum de Malsau, virum magnae experientiae et multarum linguarum peritum, ad Serenissimum Dominum nostrum. Mitit eciam alium, videlicet Dominum Ioannem Schemberg, Illustrissimus Dominus Georgius Dux Saxoniae. Credo, quod de illis rebus, de quibus agent cum Maiestate Regia Oratores predicti, reddar cercior. Quod cum factum fuerit, scribam Illustrissimae Dominationi Vestrae et nihil illam caelabo.

Scribit mihi quidam amiculus ex Aula regia, alioqui homo, qui non parva ex parte res regias novit, quod in Ducatu Maiestatis Suae Masoviae rumores sparguntur, eciam fit mencio nominis fratris Illustrissimae Dominationis Vestrae. Cui rei licet et Maiestas Regia et ego nullam fidem adhibeo, quia tamen ego ab inicio nostrae coniunctionis nihil magis studui et studeo, quam ut Illustrissima Dominatio Vestra et fratres eius essent Maiestati Regiae, ut merito debent, charissimi, ideo mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae in scedula obsignata, quod ex literis amici accepi. Vestra autem Illustrissima Dominatio id secreto tenere dignabitur, quod a me pro avisamento scriptum est.

Gratissimum mihi est, quod misit mihi Illustrissima Dominationi Vestra exemplum legacionis missae ad Sacram Maiestatem Regiam, placetque mihi, quod illo modo concepta nataque est legacio illa.

Atque ita si quispiam aliter de hiis rebus tecum agere voluerit, quam ut ex Illustrissima Dominatione Vestra intellexi, non habebit fidem, quicumque sit ille, et scribam mox Maiestati Regiae in commendacionem rei istius pro parte Illustrissimae Dominationis Vestrae. Cui et amorem regium et omnia bona ex animo precor.

Habui heri multorum amicorum literas ex Aula regia et ab ipso Rege. Nihil mihi scribitur, quod Illustrissima Dominationi Vestra deberet esse accusata apud Maiestatem Regiam, nec Maiestas Regia facile credit huiusmodi delatoribus, presertim erga Illustrissimam Dominationem Vestram.

Ex Praga eciam accepi literas a Reverendissimo Domino Tridentino,⁵⁾ a Magnifice Domino Vilhelmo Barone in Walspurg,⁶⁾ Curiae Magistro Serenissimi Domini Regis Ferdinandi. Item a quibusdam Secretariis et ab Oratore nostro. In quibus mihi scribitur, quod Illustrissimus Dominus Georgius, frater Illustrissimae Dominationis Vestrae, Dominus Dux Fredericus Legnicensis, Dominus Dux Carolus Mynsterbergensis sunt apud Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum. Est et Dominus Dux Oppoliensis,⁶⁾ cum quo agitur, ut ille Ducatus Oppoliensis non ad fratrem Illustrissimae Dominationis Vestrae, sed ad Regiam Maiestatem devolatur, videoque rem magis vi et violencia agi quam iure. Nota enim est mihi iusticia fratris Illustrissimae Dominationis Vestrae, qui illum Ducatum sive successionem eam iustissime emeruerat apud Serenissimos Dominos Wladislaum et Ludovicum Reges Ungariae et Boemiae. Scio eciam, quomodo facta fuit composicio pro eodem Ducatu primum cum Rege meo, deinde cum Illustrissimo Domino Duce Cazimiro Thessinensi. Et inde provenire debuerunt mihi mille quingenti floreni, sed ego de proventu meo nihil ad presens curarem, si frater Illustrissimae Dominationis Vestrae iusticiam suam consequi possit. Et scribitur mihi, quod ubi eam ipsam iusticiam non poterit assequi, nil aliud Illustrissima Dominationi Sua quam protestacionem quandam factura est. Sed quem in finem negotium succedet, spero brevi de hoc me literas habiturum. Quod cum factum fuerit, scribam Illustrissimae Dominationi Vestrae,

uti Domino et fratri charissimo et honorandissimo... Datum Cracoviae,
ipso die festi Sancti Ioannis Baptistae,¹⁾ anno salutis humanae millesimo
quingentesimo vigesimo octavo.

Christophorus de Schydlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

b) Vestre Illustrissime Dominacionis totus bonus servitor
quidquid est manu sua.^{c)}

a) *verba*: in aliis *in margine scripta*.

2) *Marchio Brandenb., Ioachimus I.*

b)-c) *manu propria*.

3) *Philippus.*

z) *sic in ms.*

4) *Solimanus II Magnificus.*

1) *Elisabeth, marchionissa Brandenburg., filia
regis Daniae Ioannis.*

5) *Bernardus de Cles.*

6) *Ianussius.*

Schedulae inclusae:

Mazovia eciam dicitur alere nescio quos rumores, qui in vulgum
sparguntur de Duce novo, quem essent brevi habituri. De fratre item
Domini Ducis Prussiae varia, quibus non omnino Sua Maiestas fidem
adhibet. Iussit tamen perquiri. Si quid adferetur certi, non negligam
scribere Illustrissime Dominationi Vestre.

Cerciorem facio Illustrissimam Dominationem Vestram, quod ad
intercessionem Caesareae Maiestatis Severinus, ille insignis pirata, emis-
sus est ex Moscovia, spoliatus tamen rebus omnibus immisericorditer.
Regia Maiestas et Consiliarii sui miserunt eum e Vilna, prius habitum
humaniter et non immuneratum. Ipse autem policetur et Maiestati Regiae
et suis omnibus obsequia sua non defutura, sicubi poterit ea prestare.

*Annexum I. Hieronymus Laski, palatinus Siradiensis, ad Ferdinandum
regem Bohemiae, 10.IV.1528:*

Serenissimo Principi et Domino, Domino Ferdinando Bohemiae Regi
ac Duci¹⁾ Austrie etc., Hyeronimus de Lasko et in Rytwyany, Palatinus
Siradiensis etc., salutem et christianam negociacionem expostulat.

Mos est, Serenissime Rex, et certe laudabilis, ut cum unus alteri
se hostem constituat, ut tunc prius, antequam aliquid hostiliter fiat,
talem suum animum hosti significet. Sed cum ego iam annus est Serenissimo
Principi et Domino, Domino Ioanni Inclito Hungarie etc. Regi,
Domino meo clementissimo, me addixerim obsequiis, cumque in certis
negociis Gallias abvissem, in reditu meo, ecce undique prope Hungariam
omnia armis fremere conspexisse, miratus, quid hoc sibi vellet, et
quod Turcarum tyrannidis oblii propria viscera lanientur, multaque
desuper investiganti, exemplar litterarum accepisse, quo Marchio Cazimirus
sub Serenitatis Tuae nomine bellum Inclyto Regi ac Domino meo
adnunciat, et non solum Domino meo, sed (ut fit) omnibus illi assisten-
tibus, ac vidisse hanc exilem personam meam eo modo, sicuti et
aliorum bonorum dicti Serenissimi Domini mei Regis servitorum, tali
adnunciacioni inesse, timuique mihi tunc. Nam hoc ipsum in media
Bohemia didici, et suffurabam me omni arte ex dominiis Serenitatis
Tuae ac effeci, ut incolumis ad Dominum meum redierim. Ubi submo-
ratus aliquantulum, necessario consilio ad Magnum Thurcarum Impera-
torem¹⁾ Orator discessi ad parandam inter illum ac eundem Serenissi-

mum Dominum meum pacem atque amiciciam. Nam uno eodemque tempore, presertim ob nonnullorum ad Celsitudinem Tuam ignominiosam defectionem, nequaquam erat tutum cum eadem ac Magno Turcorum Imperatore bellum agere Principi meo, qui ex Germania, ubi Maiestas Tua omnes suos habet, qui ex Polonia, quae neutri Maiestatum Vestrarum adesse statuerat, nullas gentes ad stipendia sua ducere potuit.

Quam ob rem, licet num iam amplius non esset opus hisce bellicis ceremoniis, nec esset opus, ut iterum Serenitati Tuae cum his se, qui mecum veniunt, hostem declarare, cui Celsitudo Tua medio Marchionis Cazimiri in suis belli litteris hostilitatem minata, sicuti et aliis, est, tamen ex genuina virtute mea, dolendo Tue Celsitudini significo novum, quia ego conductis contractisque gentibus Turcis, Moldavis, Valachis et Tartaris Domino meo serviendum venio, ubi me hoc invitum facere superos ipsos obtestor. Cum tamen videam iusticiam Serenissimi Domini mei Regis Amplitudinem Tuam opprimere velle, et quod bovem in foveam lapsum eciam in die festo Evangelium iubeat extrahere, non excusare me potui, quin facerem que iuberet, ut servitor. Itaque omne id, quod erit per me, et gentes hasce actum contra Serenitatem Tuam ac illius generaliter omnes subditos et eciam contra cunctos Serenitati Tue quomodocunque assistentes, erit factum sicuti ab illo, qui et^{a)} superabundanti virtuti honorique consulendo suo, hostem se presentibus illi declaravit, prout presentibus declarat. Datum ex castris ad Targowiscze positis, X Aprilis, anno Domini 1528.

Idem, qui supra, Hieronymus etc. manu sua.

a) in ms. ex

z) sic in ms.

1) Solimanus II Magnificus.

Annexum II. Hieronymus Laski, palatinus Siradiensis, ad incolas Regni Hungariae, 10.IV.1528:

Principio generi hominum est ab ipsa natura tributum, ut non ex omni parte bonum iustumque esse valeat ac per se possit. Quam ob rem, quia natura nostra non esset perfecta, gratiam Salvatoris accepimus, qui pro peccatis nostris misere se subiciendo morti, misericordiam planissime contritis promittere est dignatus, quique Petrum penitentem ac conversum in sinum sue clementie suscipere est dignatus, ut eo exemplo et alter alteri convertenti et se peccasse confitenti ignosceret. Quod pietatis officium non aliis magis nisi Regibus ac Principibus convenit. Proinde ego, Hieronymus de Lasko et in Rithwiany, Palatinus Siradiensis etc. ac Serenissimi Principis et Domini, Domini Ioannis, Dei gratia Hungarie etc. Regis, Consiliarius, cognitum habens errorem ac defectionem vestram ab eodem Serenissimo Domino meo, et quia peccatis sicut homines, ex christiana pietate, ex genuina generosaque virtute mea admoneo vos omnes, Regni Transilvaniae incolas, rogo, sicuti in fide christiana fratres, ut inductam temeritatem vestram, ut imbibitam eam erga Serenissimum dictum Dominum meum Regem infidelitatem repellatis, ex animis vestris et ex ipso Regno eradicetis et abiciatis de tempore, sicut eger medicinam, queratis salutem.

Securis enim ad radices esse. Tempus illud non instat, sed imminet, quo videbitis me, sicuti Regium Commissarium, cum Valachie Illustris-

simo Principe,¹⁾ cum Thurcarum Tartarorumque ingenti mole, penas querere exigereque de inique agentibus, periuris ac pacis patrieque violatoribus, in quos tanto furietur atrocius, quanto considerabo hanc meam admonicionem vobis ludibrio et abiectioni esse. Si autem aliquis vestrum, penitencia facti ductus, quesiverit gratiam et se gratie Serenissimi Domini mei Regis dicti subicere voluerit, quemlibet talem ita promovere atque suscipere promitto per fidem meam christianam et baptismi sacramentum, ut nihil illi restare debeat, quod sibi pro facto ipso timendum esset. Scio enim paucorum quorundam malicia vos seductos esse, qui ut aliquot nomen haberent et ut labores manuum pauperum exugillarent, loquacitate sua deduxerunt vos, bonos et pacis amatores, ad errorem et ad hoc, quod vobis imminet, nisi conversi fueritis, excidium. Ecclesie autem et illarum servitores nihil de Thurcis ac Thartaris timeant, nam divina omnia intacta relinquam, nec alios persecui faciam nisi infidos ac Regi Serenissimo, Domino meo, inobedientes. Reliqui omnes sua negotia bene et absque timore transigant. Ad quos cum perveniemus, amabimus et omnia victualia paratis persolvemus pecuniis. Nam ita Imperator Thurcarum,²⁾ amicus Regis mei incliti, ita et Illustris Transalpinie Waywoda fieri commisit. Bonis ergo et fidelibus pax et amor, defectoribus autem et perfidis ignis, ferrum, excidium, rapina et omne hostilitatis genus. Datum in Regno Transalpino, die X Aprilis, anno Domini MDXXVIII.

In dorso alterius exemplaris: Littere Hieronymi a Lasco ad incolas Regni Hungariae, X Aprilis, anno MDXXVIII.

1) *Radu dela Afumati.*

2) *Solimanus II.*

N. 116.

Vilnae, 30.VII.1528.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
pro litteris acceptis gratias agit; in negotio Kukernesze se esse cum rege
ita acturum, ut desiderio ducis satisfaciat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

N. 117.

Vilnae, 2.VIII.1528.

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis,
Alberto in Prussia duci
ducem salutat; paratissima servitia offert.*

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Vilnae, 4.IX.1528.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

*se litteras ducis in adventu Achatii Czema ad curiam regiam accepisse
nuntiat; regem [Sigismundum I] nunc iudiciis occupatum esse, ita
ut libere cum eo de rebus ducis conferre non potuerit; Achatii Czema
studium et diligentiam in tractandis negotiis ducis laudat.*

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

In adventu Domini Achacii Czerme huc ad Curiam Regiam binas accepi ab Illustrissima Dominacione Vestra litteras, alteras michi et Nipczicz pariter inscriptas Germanico sermone, alteras michi privatum Latino perscriptas. Quarum seriem cum mecum iterum atque iterum, immo sepe sepius, repeterem relegeremque, probe (nisi me animus meus fallit) michi deprehendere visus sum, que sit mens, voluntas et imperium Illustrissime Dominacionis Vestre.

Regia Maiestas, post Conventum absolutum, non aliud usque in diem hodiernam egit et agit, quam iudiciis dictim diligentissime presidet, atque ita non erat michi opportunitas de ceteris rebus interpellandi Suam Maiestatem. Reginalis etiam Maiestas¹⁾ hactenus egra decumbebat, nec modo michi constat, convaluerit necne. Expectandum igitur michi tempus est aptum et congruum, quo studium et cura a me dabitur, ut omnibus imperiis Illustrissime Dominacionis Vestre fiat satis. Epistola mea per Feyhel missa, quam Illustrissima Dominacio Vestra accuratam vocitare dignata est, accurata quidem fuit, nec sat scio, si ad Illustrissimam Dominacionem Vestram, tam sapientem Principem, aliter scribere conveniat nisi accurate. Circumspectis quippe rebus omnibus rationibusque subductis, contuli in eandem epistolam omnia, prout tunc animo meo obitiebantur. Nec muto sententiam, nec mutari potest, stantibus et salvis rebus, ut modo stant, declinatur tamen procul dubio et in alium statum prolapsuris, cum aut fatis aut divino numini collibuerit. Tunc, si michi ad illud temporis vita prorogabitur, aliter fortasse pronunciabo.

Litteras a pueru Principe²⁾ ad me nuper missas, Illustrissime Dominacioni Vestre inscriptas, mitto eidem Illustrissime Dominacioni Vestre per Dominum Achatium Ceme, ex quo etiam Illustrissima Dominacio Vestra reliqua omnia, que hic modo sunt, plene intelligere poterit. Eo enim studio, ea fide res eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre hic egit, ut officium eius erga Illustrissimam Dominacionem Vestram exposcere videbatur. Apud Dominum Archidiaconum Choyenski peregi diligenter ea omnia, que Illustrissima Dominacio Vestra cum eo me agere volebat. Que omnia ipse quam grato animo exceperit, facilis est coniectura. Quis enim, nisi prorsus despiens, tanti Principis oblatam ultro gratiam aspernari velit. Velim igitur, intelligat Illustrissima Dominacio Vestra, hoc quicquid est benevolencie et favoris, quod in eum per me conferre dignata est, in hominem gratissimum, integerrimum et constantissimum contulisse. Nondum me adhuc de eo ulla fefellit spes et opinio. Quod tamen si aliquando eveniet (quod evenire nolim), non erit miran-

dum. De homine enim scribebam, hominem commendabam, animal natura mutabile. Aput eundem ipsum Dominum Archidiaconum egi et pro Ioanne Nympcz captivo. Sed, ut arbitror, parum profeci. Intellexi enim ex eodem Domino Archidiacono Regie Maiestatis animum nondum esse erga eundem miserum placatum. Expectanda igitur est alia occasio et interim Deus invocandus. Sed de hiis omnibus rebus ex Domino Czeme plenius percipiet... Data Vilne, die 4^{ta} Septembris, 1528.

Eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre
minimus servorum, fidus tamen
Ioannes Szamboczski, Secretarius Regie Maiestatis.

1) *Bona.*

2) *Sigismundus Augustus.*

N. 119.

Cracoviae, 25.IX.1528.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de legationibus regis Ferdinandi, imperatoris [Caroli V] et ducis Saxoniae
[Ioannis]; de imperatoris in Italia successibus.*

Vest. sigilli.

(Annexa: exempla litterarum 1) regis Ferdinandi ad Christophorum Szydłowiecki de 17.IX.1528); 2) Ioannis regis Hungariae ad Christophorum Szydłowiecki de 12.V.1528)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Accepi litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae de data Montis Regii decimae quartae mensis preteriti, ex quibus intellexi Illustrissimam Dominationem Vestram deposuisse curam cudendae monetae propter defectum argenti.

Ita me Deus Optimus Maximus amet, mi Illustrissime Princeps, quod ego in hac re libentissime cuperem gratificari, sed certe ita se res habet, ut proxime Illustrissimae Dominationi Vestrae significaveram.

Quod autem poscit Illustrissima Dominatione Vestra, facerem illam cerciorem, quid Serenissimi Domini Regis Ferdinandi, quid Caesaris Oratores¹⁾ apud Sacram Maiestatem Regiam Domini nostri clementissimi egerint, Orator Serenissimi Regis Ferdinandi nihil aliud egit diligencius, quam visitavit et salutavit Regem et Reginam²⁾ ac eciam liberos regios nomine sui Principis.

Deinde nunciavit gratissimam fuisse Regi Ferdinando eam legacionem a Maiestate Regia Domini nostri, in qua Dominus Petrus Opalinski, Castellanus Myedzirzecensis, missus fuit. Postulavit Maiestatem Regiam non daret amplius receptum in Regno suo Serenissimo Domino Regi

Ioanni et quod nulla auxilia ex hoc Regno illi darentur contra Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum.

Demum curavit persuadere modis omnibus, ut foedera diu et recens inita ac coniunctiones, tam Maiestatum Suarum quam Regnorum utriusque Maiestatis, arctissime utrinque servarentur.

Ad eundem ferme modum Illustrissimi Domini Ducis Saxoniae³⁾ Orator, Dominus Ioannes Schomberg, peregit legacionem suam, nam ex uno et eodem fonte rivuli pronunciaverunt legaciones illorum.

Responsum est eis satis humaniter et ad propositum.

Quod autem Oratorem Sacratissimae Cesareae Maiestatis attinet, mitto Illustrissimae Dominatione Vestrae responsum, quod ei Sacra Maiestas Regia dare dignata est, ex quo abunde et argumentum legacionis et omnia cognoscere poterit.

Novarum rerum nihil prorsus habeo, nisi quod Sacrae Cesareae Maiestati in bello Italico foeliciter successit. Quod litterae Serenissimi Domini Regis Ferdinandi abunde declarant, quarum exemplum mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae.

Sacra Maiestas Regia, absoluto Conventu Magni Ducatus Lituaniae, venacionibus et solaciis operam dat. Sana est, gracia Deo, Maiestas Sua cum Serenissimis coniuge et liberis.

Commando me Illustrissimae Dominationi Vestrae, quam una cum coniuge et filiola optime ac foelicissime valere desydero. Ad cuius valedicinem invisendam mitto hunc Venerabilem Paulum Plotowski, Prepositum et Canonicum Varmiensem, familiarem meum, cuius medio Vestra Illustrissima Dominatio dignabitur rursus mihi renunciare de salute et incolumitate sua et suarum, quam illis fore precor longissimam et foelicissimam. Datum Cracoviae, vicesima quinta Septembbris, anno Domini MDXXVIII.

Christophorus de Schedlowiecz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

a) Vestre Illustrissime Dominacionis totus quidquid est servitor manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

2) *Bona.*

1) *Ioachimus Maltzan de Grauppen et Cieplice et Doctor Henricus Ribisch.*

3) *Ioannes Constans.*

Annexum. Ferdinandus rex Hungariae et Bohemiae ad Christophorum Schedlowiecki, 17.IX.1528:

Ferdinandus, Dei gratia Hungariae et Bohemiae Rex etc., Infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc., Marchio Moraviae etc., Imperialis Locumtenens Generalis etc.

Illustris, sincere dilecte.

Significamus vobis, quod cum exercitus Gallorum, qui non parvo numero constabat, ac superioribus diebus urbem Neapolitanam obsidione cinxerat, sublato sui Duce Supremo, Domino de Lutrech, gravius afflatur deliberassetque tandem retrocedere et solvere obsidionem, gentes Maiestatis Cesareae, Neapolim tenentes et in ea obsesse consiliumque Gallorum prescientes, XX die mensis Augusti proxime elapsi in hostes eruperunt eosque in sublacione castrorum aggressi, primo eis machinas et tormenta bellica eripuerunt et deinde in fugam egerunt hostiles copias, quarum pars in Aversam, pars in Capuam salutis suae tuendae gratia

configit. Marchio vero Saluciarum¹⁾ et Petrus Comes de Navarro, primi ductores exercitus illius, capti. Reliquae autem illius pociores, nostris obvie, in civitate Capuana ferro extinctae fuere.

Quod nostrum ergo erat, Deo Optimo Maximo, iusticiae Cesareae conservatori et vindici, pro tot tantisque misericordie bonitatisque suae argumentis, nunc eciam editis, gracias egimus immortales. Non alia spe racioneque ducti, quam quod novae et insignis huius victoriae accessio caetera, quibus pax illa iam diu desyderata conflari debebit, non parum sit promotura foreque eciam, ut reliqui communium tranquillitatis christiane interturbatorum conatus minori negocio comprimi possunt.²⁾ Que vobis quoque, ob vestram in Cesaream Maiestatem affectionem et studium non modicum et tranquillitatis publice desyderium, merito nota esse volebamus. Datum Pragae in arce nostra, die decima septima mensis Septembris, anno Domini 1528, Regnorum secundo.

Ferdinandus.^{a)}
Io[annes] Maius.

Bernardus Episcopus²⁾
Tridentinus S. Cancellarius

a) *nomen regis alia manu scriptum, manum regiam imitari conante.*
z) *sic in ms.*

1) *Michael Antonius.*

2) *Bernardus de Cles.*

*Annexum II. Ioannes rex Hungariae ad Christophorum Szydłowiecki,
12.V.1528:*

Ioannes, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc., necnon Marchio Moravie ac Lusatiae et Dux utriusque Slesie etc., Spectabili ac Magnifico Domino Cristoforo de Sydlowyecz, Castellano Cracoviensi ac Regni Polonie Summo Cancellario etc., amico nostro charissimo, salutem et felicitatis incrementum.

Spectabilis etc.

Misimus nudius quintus ad Vestram Dominacionem fidelem nostrum Reverendum Franciscum, Prepositum Scepusiensem,¹⁾ Oratorem nostrum, ad Serenissimum Dominum Regem Polonie, afinem et uti patrem nostrum charissimum, missum, per quem nuntiaveramus Vestre Dominacioni nonnulla. Nunc intelleximus ab hoc etiam Magnifico Domino Magistro Curie²⁾ Serenissime Domine neptis^{a)} nostre, Vestram Dominacionem a Cracovia abesse. Doubitantes igitur, utrum Orator noster sit Dominacionem Vestram converturus necne, voluimus hec ad eam scribere, de quibus per eum nuntiaveramus. Nos Dei Optimi nutu, habentes undique ea optata nova, que iam Dominacionem Vestram non dubitamus intellexisse et intelligere, per nostros cum maxima revocati instancia, quod faustum felixque sit, in Regnum nostrum Hungarie intrare statuimus, quam primum Vestre Dominacioni Magnifice pro eo favore et amicis officiis, quibus nos est prosecuta, agimus gratias amplissimas. Que, rogamus, velit nos suo amore prosequi et rebus nostris apud Serenissimum Regem suum, pro sua amplissima ac summa auctoritate, favere.

Dominum etiam Hieronimum Laski, Palatinum Siradiensem, de quo et ipso Vestre Dominacioni nuntiaveramus, et omnes eius fratres ac propinquos Vestre Dominacioni commendamus. Si quid adversi animi Regia Maiestas in eum habet, id Dominacio Vestra diluere velit. Dominus Laski quitquid egit, pro quo gratiam magis quam indignationem mere-

retur, fecit nostro iussu et non ut subditus Sue Maiestatis, sed ut servitor noster a Sua Maiestate ad obsequia nostra benevole concessus. Molestissimum nobis esset, supra quam dici potest, si ob servicia nobis et etiam Maiestati Sue exhibita incommodum pateretur. Nos nunc hec Vestre Dominacioni nota esse voluimus. Successu etiam temporis non negligemus Dominacionem Vestram de progressu rerum nostrarum facere cerciorem... Ex opido Czthryso,^{b)} feria tercia proxima post festum Sancti Luce Evangeliste, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, Regnorum nostrorum anno secundo.

Ioannes Rex manu propria.

- a) *error scriptoris probabiliter pro: matris [Bonae]*
- b) *Strzyżów*
- 1) *Franciscus de Frangepanibus*
- 2) *Nicolaus Wolski.*

N. 120.

Cracoviae, 2.X.1528.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de legatione oratorum imperatoris [Caroli V], regis Ferdinandi et de
missione Ioannis Schönberg ad regem Poloniae; de Paulo Płotowski
ad ducem misso; de marchione Gulielmo in exercitu imperatoris re-
fert; de rebus Hungaricis mittit exempla litterarum Stephani Bro-
derici, episcopi Sirmiensis.*

(Annexa: exempla binarum litterarum Stephani Broderici ad Szydłowiecki, de die 25. et 28.IX.1528)

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Accepi litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae ex Monte Regio XII Septembbris datas, plenas humanitatis et offitiorum, de quibus Illustrissime Dominacioni Vestre magnas ago et habeo gratias.

Quod vero Doctorem Pock attinet, hoc ipsum, quod mihi Illustrissima Dominatio Vestra scribere dignata est, aliunde eciam accepi, et praesertim Doctor Rybisch, Serenissimi Domini Ferdinandi Regis Secretarius ac Causidicus, de hiis me cerciorem reddidit.

Ago tamen et habeo Illustrissimae Dominationi Vestrae maximas gratias, quod de hac re dignata est mihi tam aperte scribere.

Quod autem sibi petit communicari, quod Orator¹⁾ Cesareae, quid Serenissimi Regis Ferdinandi²⁾ Maiestatum et Ioannes Schomberg apud Serenissimum Dominum nostrum egerint impetraverintque, ante paucos dies expediti ad Illustrissimam Dominationem Vestram servitorem meum, Venerabilem Dominum Paulum Plotowski, Prepositum et Canonicum Varmensem, cui dedi ad eandem litteras, in quibus haec partim, ut vocant, originaliter, partim summarie misi. Ex quibus Illustrissima Dominationis Vestra omnia abunde cognoscere dignabitur.

Quod autem Illustrissimum Dominum Principem Vilhelmm, fratrem

Illustrissime Dominationis Vestre, attinet, libentissime hoc audio, quod est in exercitu Caesareo in Italia. Cui quam foeliciter successit, ex illis, quas Prepositus Varmiensis reddet, Illustrissima Dominacio Vestra cognoscat.

Sed non tam alte dormio, ut non intelligam, ob quam praecipue causam Illustrissimus Dominus Vilhelmus sese ad exercitum Cesareum contulit. Quam quidem causam ego plurimum commendo. Melior est enim, ut comicus ait, oculatus testis quam auriti decem, et vigilantibus iura subveniunt. Libentissime audio, quod Duci Branczvicensi³⁾ non ita successit in Italia, ut ipse sibi pollicebatur. Videbatur enim ante victoriā triumphare etc. Sapienti satis.

Novarum rerum nihil habeo praeter ea, quae proximae²⁾ scripsi. Mitto tamen Illustrissime Dominationi Vestre exempla litterarum Reverendissimi Domini Broderici Episcopi Sirmiensis, quondam Serenissimi Regis Ludovici Cancellarii, ex quibus nova Hungarica intelligere dignabitur. De reditu Domini Laski verum est. De aliis rebus, in huiusmodi litteris Domini Episcopi Sirmiensis contentis, non possum firmiter polliceri Dominationi Vestrae Illustrissime. Bonus est homo et non vanae fidei, tamen quod ille mihi scripsit, hoc ipsum Illustrissime Dominationi Vestre mitto. Serenissimus Dominus Rex Hungariae Ioannes aduc est in Tharnow. Comunis tamen vox est, quod deberet ad Hungariam brevi redire... Datum Cracoviae, 2 die Octobris, anno Domini MDXXVIII.

^{a)} Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae bonus servitor et frater

Cristoforus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius manu sua.^{b)}

1) *Ioachimus Maltzan de Grauppen.*

a)-b) *manu propria.*

2) *Doctor Henricus Ribisch.*

z) *sic in ms.*

3) *Henricus.*

*Annexum I. Stephanus Brodericus ad Christophorum Szydłowiecki,
25.IX.1528:*

Illustris etc.

Intellexi quae mihi Dominatio Vestra scribit. Ego hodie misi ad Vestram Illustram Dominationem Dominum Thomam, capellanum meum, per quem plura nunciavi. Velle, quod omnia prosperos haberent successus, sicuti habitura spero. Hic habemus nobiscum Dominum Lasky, servitorem et filium Vestre Dominationis Illustris.

Libenter voluissem scire aliquid de rebus Serenissimi Regis Bohemie, nulla mala de causa, nam Dominatio Vestra scit iam, si mihi credit, prout ita esse confido, quo tendunt omnes cogitatus et desideria mea.

Item libenter intelligerem, si quid est ex Italia scitu dignum.

Reverendissimus Dominus meus Colocensis,¹⁾ Dominus item Cancellarius se Vestre Dominationi Illustri commandant. Alia, ut dixi, Dominus Thomas referet... Ex castro Tharnoviensi, 25 Septembbris 1528.

Vestre Illustris Dominationis
servitor deditissimus
S. Brodericus subscripsit.

1) *Franciscus de Frangepanibus.*

*Annexum II. Stephanus Brodericus ad Christophorum Szydłowiecki,
28.IX.1528.*

Illustris etc.

De redditu Domini Laski, de pace perpetua per eum apud Imperatorem facta, de profligacione copiarum Andree Bathorii et ipso in castrum Echeth inclusio non dubito Vestram Dominacionem Illustram aliunde eciam iam intellexisse. Ego eciam Dominacioni Vestre hec per Dominum Thomam, capellatum meum, nunciaveram.

Audiveramus tunc et illud: partem copiarum Petri Peremi ex Transsilvania egredientis fuisse profligatam; Maylad, dispensatorem olim divi Regis mei Ludovici, in eo proelio interfectum. Hoc nunc quoque confirmatur pro re certa. Ipsum autem Petrum Peremi non ausurum amplius tentare fortunam ex Transilvania egredientibus, retrocessisse territum exercitu regio, qui est in illis partibus prope ex XX milibus Rastianorum conflatus, eorum, qui aliquando cum Homine Nigro¹⁾ fuerunt. Nunc sunt sub Radych et eius sociis, Maiestati Regiae fidelibus.

Praeterea Dominacio Vestra potuit intellexisse fuisse congregatum non contempnendum exercitum Ferdinandi Regis contra copias, quae erant sub ductu Castellani castri regii Vyhel, Simonis Grati, inter quos debebat fieri conflictus. Nunc hac ipsa hora venit ad Maiestatem Regiam Nuncius, non postremae condicione homo, qui proelio interfuit et omnia oculis vidit, exercitum illum per nostros esse penitus deletum. Castra eciam, in que post primam fugam configuerant, raptam et direptam, omnes fere, qui in castris fuerunt, occisos, bombardas omnes, et quidem pulchras, acceptas. Exercitus iste erat conflatus ex copiis Pauli²⁾ Strigoniensis, Thomae³⁾ Agriensis, Thurzonis et nandoriispani et quorundam aliorum adversae partis. Item Cassovienses et aliarum civitatum erant et IIII Lancigeri Germani.

Ante proelium hortati sunt eos nostri, ut proelium omitteretur, ne fieret tanta christiani ac fraterni sanguinis effusio. Ad que illis dicit iste Nuncius superbissime atque insolentissime respondisse, conviciis eciam et probris turpissimis additis. Hec volui Dominacioni Vestre Magnifice, ita ut accepi, esse nota. Que pro eo amore ac favore, quo Serenissimum Regem nostrum prosequitur, scio, quod super hiis ex corde letabitur... Ex castro Tharnowiensi, 28 Septembbris 1528.

Vestre Dominacionis Illustris
servitor deditissimus Stephanus Brodericus
subscriptis.

1) *Ivan Cserni.*

2) *Várdy.*

3) *Zalaházy.*

Schedula adiuncta:

Supervenit de hoc, scriptis hiis, alias Nuncius Domini Francisci de Hommona.

Audimus eciam in Sclavonia, vel ibi prope, nam de hoc adeo certi aduc non sumus, copias Ferdinandi Regis per Dominum Zagrabensem, Ioannem Banffy, ac nonnullos Comitatus Regi fidelis esse profligatas.

Dominus Thornaly scribit ad se recens allatum de profligacione VIII
millium equitum Petri Perinii, de capite Maylad et Francisci Erdeulii,
que illis copiis praeyerant, a nostris portatis.

N. 121.

Vilnae, 10.X.1528.

Ioannes Zambocki

Alberto in Prussia duci

episcopum Kioviensem [Nicolaum Wieżgajło], oratorem regium, commendat.

Sigill.

H B A, B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Nichil dubito, quin adventus huius Reverendissimi Domini Episcopi Kioviensis ad Illustrissimam Dominacionem Vestram erit ei gratus et iocundus, propterea quod et ab amico Rege et a Ducatu, multis vicinie officiis cum ditione Illustrissime Dominacionis Vestre coniuncto, Legatus et Orator istuc veniat. Ideo non modo a me, qui nichil sum, verum a quantumvis summi ordinis homine eundem Episcopum Illustrissime Dominacioni Vestre commendare supervacaneum michi videtur. Quin etiam si privatim, casu aliquo fortuito, isthuc veniret, summa et excellens eius virtus, probitas morum et mixta gravitate comitas habunde eum commendaret non modo Illustrissime Dominacioni Vestre, summo virtutis et probitatis fautori, verum etiam ex vulgo cuiilibet probate saltem fidei homini.

Tamen quoniam propter plurima et non vulgaria in me officia et merita eiusdem Reverendissimi Domini Episcopi decori et dignitati eius vehementer faveo, non potui id, quod de eo pure sentio, reticere pressertim apud Illustrissimam Dominacionem Vestram, Dominum meum gratiosissimum, illud adiciens, si quisquam in hoc amplio et spatio Ducatu Lithuaniae fide, prudentia, auctoritate preeminet, hunc nemini esse secundum (meo quidem iudicio) intelligat Illustrissima Dominacio Vestra. Habet Episcopatum in Tartarice solitudinis finibus, iam pridem ab eisdem Tartaris vastatum et desolatum, dignus tamen est ditissimo et maximo quoconque Episcopatu, ad qualem eum (modo opportunitas affulserit) Deus et gratia Principis atque virtus eius procul dubio propediem evehet. Ego me Illustrissime Dominacioni Vestre cum perpetua mea servitute humilime commendando, Reverendissimum vero Dominum Episcopum dignitas et ordo atque conditio et virtus eius commendabit eidem Illustrissime Dominacioni Vestre... Data Vilne, sabbato X die Octobris, 1528.

Eiusdem Illustrissime Dominacioni Vestre

humilis servus

Ioannes Szamboczki, Secretarius Regie Maiestatis.

In Nova Civitate Korczyn, 19.X.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de regibus Ioanne et Ferdinando; de morte Casimiri ducis Thessinensis;
de Hieronymi Laski ex Turcia reducis apud se commoratione.

Sigill.

H B A. B 2, K.351.

Illustrissime Princeps etc.

Etsi non pauci iam dies preterierunt, quibus ab Illustrissima Dominatione Vestra nihil literarum accepi, ex quibus saltem hoc potuissem cognoscere, quod Illustrissima Dominatio Vestra cum sua Inlyta et Illustrissima coniuge ac dulcissimis liberis recte et feliciter valet, tamen singularis amicus meus, Dominus Achacius Czema, Capitaneus Slochoviensis, desyderio meo hoc nomine satisfecit, cum datis literis significavit mihi se paulo ante fuisse apud Illustrissimam Dominationem Vestram et eam, una cum Illustrissima Domina Duce ac charissima prole, (Deo gratia) recte feliciterque valere. Quod ut mihi magnam voluntatem attulit, vix ulla oracione consequi potest.

Scribit mihi subinde Dominus Czema, quod Illustrissima Dominatio Vestra nunc summe incumbit rei familiari et domestice augendisque et cumulandis opibus ac muniendis providendisque civitatibus et arcibus. Vestra Illustrissima Dominatio facit, ut prudentissimus Princeps, qui tempore pacis timet bella et providet futuris necessitatibus. Felices certe sunt tales, qui tempore pacis prospiciunt de hiis, de quibus tempore belli fructum centuplum sunt habituri.

Ego, Illustrissime Princeps, subduxvi me cum uxore et liberis a Cracovia ad hanc arcem Nove Civitatis, metu pestis, quae urbem illam non modice vexare cepit. Hic, Deo bene volente, bona fruor cum meis omnibus valetudine, quamquam et in opidis vicinis et villis homines peste moriuntur. Post paucos dies conferam me ad alias possessiones meas, relicta hic uxore et liberis, nam cogor huc brevi redire propter conventus terrestres, qui generalem solent praecedere. Generalis autem Dieta speratur fore pro festo Sanctorum Trium Regum, aut pro festo Purificacionis Deipare Virginis, hoc est in principio Februarii.

Nostrarum rerum nihil habeo, quod nunc scribi a me debeat Illustrissimae Dominationi Vestræ, nisi quod Serenissimus Dominus Rex noster Poloniae Vilne agit. Expectamus Suam Maiestatem in has partes venturam pro die futuri Conventus, qui tamen nondum nobis est significatus a Maiestate Regia, sed brevi significabitur. Celebrabitur autem, ut dixi, circa illa tempora Sanctorum Trium Regum et festum Purificationis. Sed nescio, an Pyotrkoviae vel Varszoviae.

Serenissimus Dominus Rex Ioannes constitutus tandem intrare ad Regnum suum Hungariae, vocatus a suis. Qua in re dedit ad me proxime literas, quarum exemplum mitto Illustrissimae Dominationi Vestræ. Totam spem posuit in Imperatore Turcorum.¹⁾

Serenissimus autem Dominus Rex Ferdinandus, proximis diebus solvens ex Praga, Viennam venit. Debuit celebrare Conventum Regni Hungariae apud Posonium, sed non audio si celebravit. Dedit ad me proximis

diebus Maiestas Sua literas de victoria Cesareanorum contra Gallos, apud Neapolim parta. Quarum exemplum etiam mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae. Ego, ut accepi, sic etiam tradidi. Illustrissima Dominatio Vestra ex illis exemplis cognoscet, quam feliciter Cesareae Maiestati in Italia successit.

Praeterea gravissimam iacturam accepi, amisso optimo ac integerimo amico, Illustrissimo Domino Casimiro Duce Thesinensi, quocum amplius a triginta annis coniunctissime vixi in magnisque rebus versatus sum. Is paucis ante diebus, ut mihi dictum est, subito mortuus est, relicto post se suorum subditorum maximo desyderio. Misi evestigio, cognita hac re, unum ex familiaribus meis ad invisendam et consolandam Illustrissimam Principem Dominam Ducem Thessinensem sororemque Illustrissimae Dominationis Vestrae,²⁾ et ad offerendum illi omnia obsequia mea mihi possibilia in praesenti statu eius Illustrissimae Dominationis, simulac ad coherestandam sepulturam illius optimi Principis. Si contigisset me proprius esse, quam sum, illi loco, certe non gravarer et ipse met illuc advolare. Una opera et amici funus curarem et studia ac obsequia mea Illustrissimae Dominae Duci et filio eius commendarem ac dedicarem.

Erat hodie apud me Magnificus Dominus Hieronimus a Lasko, Palatinus Siradiensis. Nondum lapsi sunt duo menses, quod a Cesare Turcorum huc se contulit. Multa cum eo locutus sum, et ipse multa ac magnifica dicit de potentia illius Principis, quae omnino summa est. Qui omnino, ut Dominus Laski dicit, constituit Serenissimum Dominum Regem Ioannem in Regnum Hungariae restituere ac omni impetione Serenissimi Domini Regis Ferdinandi tueri. Dominus Deus faciat id, quod Rei Christiane magis conducit... Datum in Nova Civitate Corczyn, die decima nona Octobris, anno Domini MDXXVIII.

Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitanus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

a) Veste Illustrissime Dominacionis totus quidquid est servitor et frater manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

1) *Solimanus II.*

2) *Anna*.

N. 123.

In Nova Civitate, 17.XII.1528.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

mittit varia exempla litterarum ad se datarum (quorum nonnisi illud litterarum Broderici, episcopi Sirmiensis, in Archivo invenitur).

Sigill.

(Annexum: litterae Broderici 13.XI.1528)

H B A, B 2, K.351.

Obsequiorum promptissimorum diligentissimam commendacionem. Hodie sub Conventu procerum et nobilitatis Superioris Poloniae, hic apud Novam Civitatem acto, allatae sunt mihi litterae a Magnifico

Domino Severino Bonner, Burgrabio et Zuppario Magnoque Procuratore Cracoviensi, quae plurimum pertinere videntur ad Illustrissimam Dominationem Vestram. Eas ipsas litteras mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae per Albertum Bischow, Philippi Byschow, Burgrabii et Proconsulis Gdanensis, filium. Quem quidem Dominum Phillipum Bischow datis litteris rogavi, curaret eas, quae ad Illustrissimam Dominationem Vestram pertinent, eidem quam celerrime mittere.

Mitto etiam Illustrissimae Dominationi Vestrae litteras, quas mihi Dominus Severinus Bonner scribit, ex quibus cognoscet, quo in discrimine fuerit illa peccunia, ad postulacionem Illustrissimae Dominationis Vestrae Nurumbergam missa.

Novarum rerum nihil aliud habeo, quam quod Sacra Maiestas Regia superiori mense affligebatur in dextra parte corporis ex dolore scyatice. Plus molesta quam periculosa aegritudo fuit, sed iam Maiestas Sua, gracia Deo, optime valet ceptaque negocia illius Magni Ducatus agit. Expectamus Suam Maiestatem ad Generalem Conventum, quem Warschoviae ad diem Sanctorum Trium Regum regnicolis indicere dignata est.

In Germania quae nunc aguntur, puto, quod Illustrissima Dominatione Vestra melius novit quam ego. Similiter quid agat Serenissimus Dominus Rex Ferdinandus, non dubito Illustrissimae Dominationi Vestrae satis constare. Rex autem Ioannes quo locorum sit, cognoscet Illustrissima Dominatione Vestra ex litteris Reverendissimi Domini Episcopi Sirimiensis, quarum exemplum hiis inclusum mitto.

Si quid habet Illustrissima Dominatione Vestra, quod me scire deceret, et nacta fuerit hominem, qui litteras eius ad me perferat, rogo, dignetur me facere cerciorem. Imprimis autem scire cupio de salute et incolumentate Illustrissimae Dominationis Vestrae et inclytæ ac amantissimæ Dominae coniugis suæ charissimorumque pignorum Illustrissimæ Dominationis Vestrae... Datum in arce Novae Civitatis, 17 Decembris, anno Domini MDXXVIII.

Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae cancellarius etc.

a) *Vestre Illustrissime Dominationis bonus servitor et frater*
manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria.*

Annexum: Stephanus Brodericus ad Christophorum Szydłowiecki de die 13.XI.1528.

Illustris etc.

Novi aliud nihil. Pervenimus ad oppidum Drebeczen,²⁾ ubique a subditis Regie Maiestatis excepti magno favore et obedientia. Omnia nobis hactenus fuere prospera et ad nutum. Deus secundet futura. Dominatione Vestra Illustris et simul Dominus meus, Reverendissimus Dominus Episcopus Cracoviensis,¹⁾ intellexit ex hiis, que ex Strisso opido²⁾ 21 vel 22 Octobris scripta fuerunt, omnia. Quod iam secundo Vestre Illustri Dominationi repeto, non sine causa hec scribo, tantum ne data hac litteras mittendi occasione nihil scripsisse viderer, me, servitutem meam et illud negocium meum Vestre Dominationi Illustri plurimum commendando. Que quando dignabitur ad me scribere, velit ita litteras dirigere, ut non veniant ad manus alicuius alterius, sed ad meas proprias

Ego ero Waradini simul cum Domino meo Reverendissimo Colocensi.³⁾ Quid enim nobis cum Marte, mihi presertim eciam nunc latus, ob brevem, sed nimium luctuosam militiam, graviter afflito et assiduis doloribus vexato.

Libenter eciam inter istas tot et tantas nostras rei bene et ex animi sentencia succedende spes intelligerem, si quid ex illa animi duricia adversarii est immutatum aut diminutum. Cuius res, nisi Deus peculiari quadam sua benignitate aliter providerit, sunt in summo periculo procul omni dubio, et miror certo eum periculum suum vel non intelligere vel non credere.

Habuimus Nuncium de Slavonia recentem, qui narrat Thurcas nunc rursus fecisse incursionem in Carinthiam miseram. Qui cum ducerent circiter VM^{a)} animarum, et cum hii, qui eorum agmen precedebant, ad centum equitum a Comite Corbaviensi, Bano Slavonie, fuissent prostrati, reliqui totam illam turbam captivorum ad unum trucidarunt.

Dicit idem Nuncius hoc anno plures fuisse factas in Carinthiam excusiones, abducta pluribus vicibus usque ad quadraginta milia animarum. Huc miseram Christianitatem civilia ac fraterna bella ac tanta paucorum dominandi libido adduxerunt. Et iam iam longe graviora instant. In quo utinam falsus sim vates! Haec non sine ingenti cordis dolore et amaritudine scribo... Ex Debreczen, 13 Novembris 1528.

Vestre Illustris Dominacionis
servitor deditissimus S. Brodericus
Sirmiensis subscrispsit.

a) 5000.

z) sic in ms.

1) Petrus Tomicki.

2) Strzyżów.

3) Franciscus de Frangepanibus.

1529

N. 124.

Varsaviae, 27.I.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

pro benevolentia et favore, per Paulum Płotowski, canonicum Varmiensem, sibi demonstratis gratias agit; rerum statum in Hungaria incertum esse scribit; de proposito ducis ad regem Ferdinandum itinere melius edoceri cupit; Stanislaum Kostka, capitaneum Golubensem, commendat.

Sigill.

(3 schedulae adiunctae et annexa epistola Gulielmi Truchsess ad Christophorum Szydłowiecki)

*Iam ed.: A.T.XI, 14 (sine schedulis et annexo, quae hic publicamus)
H B A, B 2, K.352.*

Schedulae adiunctae:

Serenissimus Dominus Rex Ioannes dicitur esse in arce Lippa, quae est arx fratri Illustrissimae Dominationis Vestrae, Illustrissimi Domini Georgii Marchionis etc. Nam arces Lippa et Schomlosch sunt sibi vicinae.

Si quid habet rerum novarum Illustrissima Dominatio Vestra, rogo, faciat me participem et scribat, si he litterae citto pervenerunt ad manus Illustrissimae Dominationis Vestrae.

Ex litteris cuiusdam mercatoris e Vienna:

Ich mich vorstehe auch, wie der Furste aus Preussenn sol in kurcz zum Ferdinando khommenn.

Annexum: Gulielmus Truchsess Christophoro Szydłowiecki, 31.XII.1528.

Spectabilis etc.

Paucis transactis diebus Spectabili Magnificentiae Vestrae XXVIII Decembris scripsi, nec dubito, quin Spectabilis Magnificentia Vestra litteras acteperit. Ultimo vero Decembris Magnificus Dominus Stephanus Pemflinger, Castellanus Budensis, qui etiam a cunabulis in Regiae Maiestatis curia est nutritus, ac Magnificus Dominus Ioannes Kylenfelder, exercitus Questor, Magnifico Domino Vicedomino Viennensi unanimiter scripserunt, quod Comes Czipsensis¹⁾ cum toto exercitu atque omnibus copiis ab ipsis Ungaris apud Themisvar sit omnino fugatus. Quomodo autem hoc

egregium factum sit peractum, pro certo adhuc non scitur. Id si verum esset, magis divinum miraculum, quam humanum reputarem. Hoc Spectabilis Magnificentiae Vestrae raptim, nec aliter, quam ut supra commemoratum est, explicatum volo. Strenuus ac Magnificus Dominus Ioannes Kaczremer²⁾ apud montana opida castra metatur... Datum Vienne, ultimo Decembris, anno a nato Ihesu 1528.

Spectabilis et Magnifica Dominationis Vestrae
Vilhelmus, Sacri Romani Imperii hereditarius Dapifer,
Baro in Valtpurg, Dominus in Scher et Truchpurg etc.,
Serenissimi Domini Hungarie et Boemie etc. Regis
Magnus Magister Domus
Spectabilis Magnificentiae Vestrae paratissimus amicus
uti frater manu propria etc.

1) *Ioannes Zapolya.*

2) *Ioannes Katzianer, exercitus Ferdinandi dux.*

N. 125.

[*Varsaviae, post 27.I.1529*]

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
mittit exempla aliquot litterarum; de rebus in Hungaria et Italia.

Sigill.

(Annexa: 1. *Ex litteris Antonii Fugger 10.XII.1528*, 2. *Ex litteris Georgii Hegel*, 3. *Ex posterioribus eiusdem*, 4. *Caroli Kuczer 6.I.1529*).
H B A, B 2, K.352.

Post scriptas litteras *) allatae sunt mihi litterae a Domino Anthonio Fogger. Iste quid mihi pro novis scribit, mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae. Ceterum quae Karolus Kuczer,^{a)} ex litterarum eius exemplo Illustrissima Dominatio Vestra cognoscere dignabitur. Quae eciam mihi Georgius Hegel hac hora scripsit, eorum copiam Illustrissimae Dominationi Vestrae mitto. Cui me iterum atque iterum ex animo commendabo.

Christophorus de Schydlowyecz, Castellanus et Capitaneus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

In dorso alia manu: Posteriorres.

a) *verbum deest.*

*) *Cfr. N. praec.*

Annexum I:

Ex litteris Domini Antonii Fugger die X mensis Decembris anno 1528 datis etc. Augusta Vindelicia.

Porro de rebus novis hoc tempore sane nihil habemus. Summus Pontifex Rome¹⁾ agit, ubi et diruta, cassa et labefactata reintegrare adnititur. Genuenses castellum, quod, in eorum urbe Gallico praesidio tenebatur, in ditionem eorum receperunt urbemque finitimam Savonam pariter subegerunt.

Gallorum exercitus residuum circa Alexandriam est et Alpinas et Allobrogum se civitates aliquod continent. Nec alia iam sunt, quae Magnifice Dominationi Vestre significanda putem. Si quid occurrit rerum novarum, dabo operam, ut absque dilatione Magnificam Dominationem Vestram participem faciam...

1) *Clemens VII.*

Annexum II:

Ex litteris Georgii Hegel.

Ex Ungaria nihil certi scribere possum. Fama fertur hic communis Thurcos cum Rege Ioanne apud Themeschwar a militibus Regis Ferdinandi prostratos esse sub ducibus Borymno Peter et Thurek¹⁾ Valenth. Cum autem ego a factoribus Dominorum nostrorum nullas de hoc litteras habui, cum ipsi rem tantam scribere ad me debuissent, non presumebam Vestre Magnifice Dominationi de hoc scribere. Nunc vero talis fama quotidie augetur, ex pluribus locis advenientibus et hoc affirmantibus. Dominus Carolus Coczer suis litteris ex Vienna hoc eciam confirmavit. Ego de hac re a factoribus Dominorum nostrorum nihil habeo. Kalcziamer adhuc manet in districtu penes Selein.²⁾ Oportet magnam causam esse, que eum tamdiu cum satis magno exercitu ociosum detineat. Sunt aliqui, qui dicunt ipsum recta via ad Budam iturum. Si quid continget, reddam Vestram Magnificam Dominationem mox cerciorem.

1) *Török*

2) *Sillein*

Annexum III:

Ex posterioribus eiusdem.

Illustris et Magnifice Domine. Cum non haberem occurrentem, litterae usque ad diem 15 mensis Ianuarii hic manserunt. Interim habui litteras a factore Dominorum nostrorum ibidem constituto, Ulrico Hameser, qui scribit alias novitates ex Hungaria, celeriter ad Viennam allatas. Thurcos in magnam discordiam cum Rege Ioanne venisse, eo quod minime suis promissis satisfaceret. Intantum eciam contra Suam Regiam Maiestatem exacerbatos, ut nisi fuga elapsus fuisset, in extremum periculum vitae seu perpetuae captivitatis incidisset. Thuri bombardas praedicti Regis Ioannis apud se retinuerunt. Audientes vero exercitum Regis Ferdinandi ex Almanis propediem affuturum, non expectabant, sed ad Albam Grecam se receperunt. Quos Hungari insecuri, aliquot occisis, reliquos in fugam verterunt et alias bombardas eisdem abstulerunt. Rex Ioannes, fuga elapsus, ad Lyppe castrum pervenit. Simon Dyak, Campiductor Regis Ioannis, prostrato exercitu suo cum aliquot aliis captus est. Haec, ut mihi scripta sunt, Vestre Magnifice Dominationi intimare volui...

Annexum IV: Carolus Kuczer ad Christophorum Szydłowiecki, 6.I.1529.

Grosmechtiger herr.

Ich habe Euer Gnaden vor 10, vor 6 tag dato bryff zugeschickt und 2 bryff von hoffmeyster; ich byn der hoffnung, sy seyn Euer Gnaden worden und alle zeitung dorin geschriben, was sich dun hebt alhy in lant.

Item do schicke ich Euer Gnaden ein buchlein, das gedruckt ist, was sy dy lantschafft vorwilligt hot wider den Turken in Ostereych, Kernten, Steimark, Crenlant, lant von eins.

Item dy lantschafft und groffschafft von Tirol gibt 10 tausent lanczknecht auf 6 monet und hundert tausent fl.

Item das furstenthum von Wirtenberg gybt 5 tausent lanczknecht und funfczig tausent fl.

Item alle byschoff in Ostereich haben zugesagt firmal hundert tausent fl.

Item, Genediger her, was sich an uns wirt zu treffen, wil ich Euer Gnaden zu schicken.

Item ich wolt Euer Gnaden gen ganczen frischen haysen schicken ken Warschaw, er kam hupsch und frisch hin, wer er geffron wer, ich kan nicht fur haben. Geben zu Wien, den 6. tag Jenner, 1529.

Carl Cuczer.

N. 126.

Varsaviae, 1.II.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de rege Hungariae Ioanne, totam spem suam in Turcis ponente; de rege Ferdinand, in Germania contra Turcas auxilia quaerente.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 31.

H B A, B 2, K.352.

N. 127.

Varsaviae, 6.II.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

nova ex Hungaria mittit.

Sigill.

(Annexum: exemplum litterarum Melchioris secretarii)

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Dedi proximis diebus ad Illustrissimam Dominationem Vestram litteras, unas Domini Stanislai Kostka, Capitanei Columbani,^{a)} alteras per famulum Domini Balinski. Libenter viderem, ut salvae et incolumes ad manus Illustrissimae Dominationis Vestrae pervenirent. Quare plurimum rogo Illustrissimam Dominationem Vestram, dignetur per primum

ocurrentem mihi significare, si Illustrissima Dominatio Vestra ipsas litteras habuit.

Nunc nihil habeo quod scribam, nisi significo Illustrissime Dominationi Vestrae me habuisse ex Lithuania litteras, ex quibus accepi Sacram Maiestatem Regiam, Deo bene volente, rectissime valere.

Ex Hungaria nihil certi et scitu digni habetur praeter hoc, quod quidam Secretarius Serenissimi Regis Ioannis avunculo cuidam significavit. Huius exemplum mitto Illustrissimae Dominationi Vestrae. Quid etiam Carolus Kuczer, mercator Cracoviensis, mihi scripsit, ex copiis litterarum suarum, quas cum hiis mitto, Illustrissima Dominatio Vestra cognoscat... Datum Warschoviae, VI die mensis Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
Christophorus de Schidloviecz, Castellanus et Capitaneus
Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius.

b) Vestre Illustrissime Dominacionis bonus servitor et frater
manu sua.^{c)}

a) scil.: Golubensis

b)-c) manu propria.

Annexum:

Melchior Secretarius etc. Nicolao Secretario etc.
Egregie Domine etc.

Sciat Dominacio Vestra Maiestatem Domini nostri gratiosissimi frui optimata sanitate, neque in suis rebus dormire, iamque hic omnia castra et castella accepisse. Intelligimus Kaczianum adhuc ibi koczogare.^{z)} Videlicet Dominacio Vestra Egregia brevi, ut Dei adiutorio non quod Kaczyner koczogataret, sed neque Dominus suus bevvanczus molgythare^{z)} poterit. Dominacioni Vestre Egregie pro certo scribere possum, quod nisi expectamus vires Cesaris Thurcorum,¹⁾ videlicet septem Jansakos, quorum Oratores tercius agitur dies quam dimisit Sua Maiestas, statim perquiri faciemus Kaczianum. Illi autem pro Deo Altissimo supplicant Regie Maiestati, ut ducat eos, ne sedeant in confinibus. Quos iam Sua Maiestas procul dubio adducet et commisit venire. Sunt enim numero 60 millia. Sunt etiam nobiscum in curia Sue Maiestatis fere ad 4 millia. Ita quod singulis computatis, una cum Turcis, Rascianis, Hungarisi et Polonis, sunt ad aliquot millia. Quas gentes Sua Maiestas decrevit ad perquirendum Catzianerum et Dominum suum iam iam dimittere.

Waywoda Radul Transalpinensis miserat Nuncios suos ad Regiam Maiestatem, supplicando Sue Maiestati maximis precibus, ut Sua Maiestas dignaretur, pro Deo Glorioso et Beata Virgine Maria, Genitrice Dei, capiti suo gratiam facere. Excusat se, quod dixisset Maiestatem Suam in bello occubuisse, et ergo ad sinistram partem declinasset. Promittit autem ad Deum vivum, ut nisi Sua Maiestas faciat secum gratiam, quandocunque Maiestas Sua sibi mandaverit, paratus est penes Suam Maiestatem usque ad perniciem^{y)} capitum sui et consumacionem rerum suarum cum omnibus suis viribus persistere et omnia, que Sua Maiestas sibi mandaverit, servire. Adhuc Maiestas Sua nullam sibi facere voluit relacionem.

Undique enim res Sue Maiestatis prosperantur, nisi Kaczyander bestializat,^{z)} sed credit Dominacio Vestra, quod brevi mirabilia de eo audiet Dominacio Vestra.

^{z)} sic in ms.

¹⁾ Solimanus II.

Augustae, 8.II.1529.

Antonius Fugger

Christophoro Szydłowiecki

mittit novitates ex Italia. ex Hispania. ex Germania.

Sine sigillo.

H B A, B 2, K.352.

Magnifice Domine etc.

Magnifice Domine, litteras meas ad Magnificam Dominationem Vestram novissimas die praeteriti mensis prima dedi, tamen interim ego a Magnifica Dominatione Vestra receperim nullas. Et quamvis in presenciarum nihil esset magni momenti, quod Magnifica Dominatione Vestrae scriberem, volui tamen ab instituto meo et perpetua mea erga Magnificam Dominationem Vestram observancia nusquam recedere, quominus eadem Magnificam Dominationem Vestram de statu rerum nostracium horumque temporum condicione, quantum ex mutuis amicorum litteris percipere potuimus, cerciorem redderem. De statu itaque Italiae credo Magnificam Dominationem Vestram iam pridem de obitu Summi Pontificis¹⁾ nonnihil inaudisse, quemadmodum ex multorum litteris huc quoque ad nos plurimum fama datum extitit Pontificem diem clausisse extreum. Nolo tamen Magnificam Dominationem Vestram latere recepisse me exploratissimas litteras sub data XIIIII Ianuarii, quibus perdocti fuimus, unde fama haec percrebuerit et unde hanc egritudinem Summus Pontifex contraxerit. Cum enim Sanctitas Sua in die Epiphaniae, relaxandi animi gratia, in suburbanum suum (quod vulgo Belweder nuncupatur) concessisset, pestiferum quendam hausit ventum, quo perturbatus tam gravem incidit morbum, ut plurimis ingens dati veneni suspicio orta fuerit. Nam invalescente morbo, desperantibus quoque medicis de illius salute (ut credulae vulgi sunt aures et proclives ad momentaneas res mortalium animi), per totam denique Urbem fama invaluit Pontificem iam expirasse. Verum, ut ex litteris XIX Ianuarii Romae datis cognovimus, adeo Pontificis res in meliorem statum sunt conversae, ut iam extra omne vitae periculum illius egritudinis sint constitutae. De quo Optimo Maximo Deo ingentes agimus gratias, summis votis deprecantes, ut illius sanitatem augeat et in tantum conservet, quantum illius voluntati et misericordiae sit complacitum et Reipublicae Christianae conducibile et oportunum.

Ex Neapolitano Regno intelleximus civitates illas (de quibus iam pridem Magnifica Dominatione Vestrae significavi) aduc confederacionis imperio teneri. Quarum ratione interim aduc due Venetorum triremes cum oneraria nave, armis, commeatu^{a)} et militibus refertae, dum prelibatis urbibus subveniret et praesidio esse volunt, submersae sunt. Unde facile nobis coniectari licet Eolum et ipsum maris praepotentem Neptunum ceptis illorum obstare et invidere.

Ceterum urbem Aquillanam in Brutis superioribus diebus factio Ursinorum occupaverant, nullo insigni oppidanorum detimento illato. Comperta autem re, Vicerex Neapolitani Regni,²⁾ ut ferunt, in praedam Almanis et Hispanis militibus idem oppidum concessit. Et quantum coniectura assequi licet, existimamus graviter in praefatos oppidanos animadversum illosque pessime acceptos. Ceterae Italiae res eo sunt statu

constitutae, quemadmodum Magnifica Dominatio Vestra ex prioribus litteris intellexit.

Ex Hispania raro ad nos deferuntur litterae. Fama tamen aduc constans apud nos est Cesaream Maiestatem undique ingentem contrahere exercitum eaque cuncta parare, que ad ingentem classem temperandam necessaria sunt,^{b)} eo, ut ferunt, proposito, ut hoc in Italiam traiiciat.

Praeterea summo conatu dicunt tractari, ut denuo pax inter Cesaream^{c)} Maiestatem³⁾ et Galliae Regem⁴⁾ componatur. Deus Optimus Maximus faxit, ut perpetuo pax inter hos Christiani Orbis Principes firmetur, quorum unitate religionis christiana inimico, tyranno sevissimo, resistere liceat.

Conventum Imperiale ad dominicam, ut vocant, Reminiscere, indictum^{d)} Spirae Principes nostri peragent. Deus faxit, ut ad illius gloriam boni aliquid, quodque Reipublicae Christianae conducat, constituantur et decernatur.^{e)}

Haec sunt, que Magnifica Dominationi Vestrae pro officio meo solito significare volui... Datum Augustae, octava die Februarii, anno 1529.

Magnificae Dominacionis Vestrae deditissimus
Antonius Fugger subscrispit.

a) in ms. commate

z) sic in ms.

b) in ms. sicut

1) Clemens VII.

c) in ms. Cesaree

2) Filibertus de Châlons-Orange.

d) in ms. indictam

3) Carolus V.

e) in ms. decernetur

4) Franciscus I.

N. 129.

Varsaviae, 16.II.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de bona ducis et ducissae valetudine gaudet; se etiam cum suis bene valere scribit; de filiola Dorothea sibi recens nata nuntiat; de matrimonio filiae suae natu maioris cum capitaneo Samogitia [Stanislaw Kiežgajło] ob parum probatas adolescentis mores, non perficiendo; nova a Severino Boner sibi missa trasmittit.

Vest. sigill.

(Annexa: 1. exemplum litterarum Ionusbei, interpretis sultani; 2. exemplum litterarum Ibrahim Bassae; 3. Ex litteris Severini Boner)

Iam ed.: A.T.XI, 51 (sine annexis, quae hic publicamus)

H B A, B 2, K.352.

Annexum I: Ionusbei ad Christophorum Szydłowiecki, 15.X.1528.

Ihonusbei, interpres fidelissimus Magni et Invictissimi Imperatoris Sultani Suleimani, Illustrissimo et Magnificentissimo Domino Cristoforo de Szidlowiecz, in Sczmielow et Magna Oppathow Domino, Castellano et Generali Capitaneo Cracoviensi, Regni Poloniae Summo Cancellario,

necnon Siradiensi, Sochaczoviensi, Gostinensi, Nove Civitatis Corczin, Lucoviensi, Schidloviensi etc. Capitaneo.

Post humilem commendacionem et infinitas suaves salutaciones.

Recepi litteras Illustrissime Dominacionis Vestre mihi multum gratissimas, agoque magnas gracias et plurimum debere me illi fateor, quod tam gracioso animo exhibita per me eidem officia suscepit vicissimque mihi favorem suum polliceatur. Quo fit, ut ad maiora prestanda habitura sit me promciorem. Quod horologium mihi miserit per Magnificum Oratorem¹⁾ Serenissimi Regis, plurimum Illustrissime Dominacioni Vestre sum obligatus. Ex quo tam digno munere facile comprehendi splendorem magnanimitatis eiusdem Illustrissime Dominacionis Vestre. Illud autem horologium, per Vestram Illustrissimam Dominacionem Illustrissimo Ibrahim Bassae missum, ornatissimis verbis decoratum, una cum litteris per me traductis, eidem obtuli effecique illi ea omnia grata acceptaque. Declaravi quoque illi splendorem magnanimitatis, amorem ex cordis intimo manantem, veram amiciciam et benevolenciam, quam Illustrissima Dominacio Vestra exhibit et offert eidem. Qui tam benevolus Illustrissime Dominacionis Vestre animus quam gratus, quam charus illi fuerit et sit, et lingua et calamo exprimere non possum.

Voluit quidem idem Bassa tantam benevolenciam pari vicissitudine per Magnificum Dominum Oratorem Regium Illustrissime Dominacioni Vestre recompensare, ni temporis brevitas consilium Illustritatis Sue interturbasset, siquidem eodem momento Serenissimus Imperator cum Sua Illustritate venatum vadit. Et quia commisit Magnifico Oratori, ut per Vasilum, Vestre Illustrissime Dominacionis familiarem, mittantur aliquot aves dirifalcones, medio cuius tunc idem Dominus Bassa benevolenciam debitam Vestre Illustrissime Dominacioni talem testabitur, qualem illi spero gratissimam futuram. Consulo Vestre Illustrissime Dominacioni, velit pro amplianda inter Vestras Illustritates benevolencia per dictum Vasillum mittere suo nomine Illustrissimo Domino Bassa duos dirifalcones, quo illi nil gracius accepciusque facere Illustrissima Dominacio Vestra poterit.

Ceterum, quantus fuerit favor meus et auxilium per me Domino Oratori Regio prestitum in perficiendis negociis Regie Maiestatis, quantumque valuerint commendaciones Illustrissime Dominacionis Vestre, tam ex ipso Domino Oratore, quam eciam ex Vasilio, interprete regio, Illustrissima Dominacio Vestra actipiet. Quem Vasillum Illustrissime Dominacioni Vestre vicissim commendo.

De captivis illis, quos commisit Vestra Illustrissima Dominacio querere, nihil hucusque assequi et rescire potui, sed ubi aliquid percepero, faciam debitum meum, pro certoque habeat, quod eorum, que ad perquirendum dictos captivos pertinebuntur^{a)} et mihi possibilia ad faciendum erunt, in me nil desiderabitur. Nil aliud ad presens se offert preter id, quod ad mandata et beneplacitum Vestre Illustrissime Dominacionis offero me perpetuo paratissimum... Que bene valeat. Ex Constantinopoli, anno nostri Prophete Mahumet DCCCC XXXV, Lune Mucharom, die XV Octobris 1528.

a) *in ms. pertinebitur*

1) *probabiliter Hieronymus Jaroslav Laski.*

Annexum II: Ibrahim Bassa ad Christophorum Szydłowiecki, 15.X.1528:

Ibrahim Bassa, Dei gracia Vexillifer, Primus Secretarius et Summus Consiliarius Gloriosi, Magni et Invictissimi Imperatoris Sultani Suleimanni, Caput et Gubernator tocius Imperii, necnon Superior omnium subditorum, Principum et Baronum Sue Cesaree Maiestatis, Illustrissimo et Magnifico Domino Cristophoro de Schidloviecz, Castellano et Generali Capitaneo Cracoviensi, Regni Polonie Summo Cancellario, amico charissimo, salutem et felicitatem.

Pervenerunt ad me per Magnificum Dominum Oratorem Serenissime Maiestatis Regie littere Illustrissime Dominacionis Vestre, que fuerunt mihi quam gratissime, eo quod cognovi benevolenciam, affectionem et firmum amorem Illustrissimam Dominacionem Vestram reposuisse in me. Que omnia non aliunde, quam ex singulari Illustrissime Dominacionis Vestre humanitate profecta videntur, queque in rei veritate apud me divinam vim habent, cum id deceat, iuxta sentenciam philozophicam, eum amare, a quo redamaris. Cui rei certe neque longinquitas et distancia locorum terrarumque, neque absencia personarum erit impedimento. Et quemadmodum Vestra Illustrissima Dominacio illuc se erga me gessit, ita atque eo magis necessario vicissim me erga illam geram, precipue vero ob horologium aureum mihi ob sui memoriam missum, quod gratissimo animo et leta fronte accepi illudque ob sui amorem pre oculis continue habeo. Velim autem certo sibi persuadeat, quod quicquid per occasionem mihi factu possibile Vestra Illustrissima Dominacio a me postulaverit, me id illi haud gravatim concessurum. Ob cuius amorem Oratori illius Maiestatis omnem honorem et humanitatem ac totum id, quod a me requirebat, atque eciam Vasilio interpreti, libentissime exhibui, eidemque in inquirendo captivos omnem favorem prestiti. Et inter alios articulos, Oratori illius Maiestatis commissos, id continetur, ut omnes captivi ex Regno Polonie, ubicunque inventi, liberentur atque manumittantur, prout in iisdem articulis diffusis appareat. Nec plura. Offero me paratissimum perpetuo votis et commoditatibus Illustrissime Dominacionis Vestre. Que bene valeat. Datum Constantinopoli, anno nostri Prophete Mahumeth DCCCCXXXV, Lune Mucharom, XV Octobris, anno autem Messie Ihesu 1528, in solita residencia pallacii mei.

In dorso: Copia litterarum Hymbraym Bassae et Ionusbei interpretis Imperatoris Turcorum.

Annexum III: Ex litteris Severini Boner ad Szydłowiecki, de die 21.III.[1529]

Nova ex litteris Domini Boner.

Ex Italia habentur, quod Comes de Sancto Ioanne et Paulo,¹⁾ Capitanus exercitus gentium Christianissimi Regis Gallorum,²⁾ in Lombardia, exploratum habens civitatem Ianuensem presidiis paucis et exiguis firmatum et provisam esse, misit duo millia quingentos pedites ad faciendam irruptionem ex improviso et occupandam civitatem dictam. Quod presidiarii et cives Ianuenses cum rescivissent, ante adventum illorum portas et moenia civitatis satis opportune munire defensionique omnia adaptare, postremo et defendere civitatem conati sunt eo ardore et animositate, quod inimici, repulsam passi et spe frustrati, retrocedere coacti sunt, castellumque quoddam non satis munitum neque gentibus, neque

comeatibus, neque etiam fortitudine loci et edificiorum, in quo Andreas Doria, Capitaneus maritimus Cesaris,³⁾ tunc erat, obsidione cinxerunt. Et actum fuisse profecto de Andrea Doria, nisi in crastino post repulsam, per gentes Gallicas circa Ianuam passam, appulissent Ianuam tria millia peditum ex Pulia maritime, in subsidium dictae civitati Ianuensi missa. Cum quibus Ianuenses ad locum, ubi Andreas Doria obsidebatur, acclerantes coegerunt Gallos, interfectis nonnullis, obsidionem solvere.

Christianissimus Rex Gallorum parat expeditionem et exercitum conscribit validissimum prima⁴⁾ vere in Lombardiam mittendum, cui etiam coadunatus erit numerus non contemnendus Elvetiorum. Sed quia predictus Rex Christianissimus ex Proceribus et Consiliariis Regni Gallie primum quendam mittit in legatione ad Summum Pontificem,⁴⁾ sunt qui pretendunt ineunde et firmando pacis gratia cum Cesare. Alii vero coniecturantur, verisimilius quidem, ad dissolvendam confederationem, inter Summum Pontificem et Cesarem noviter firmatam, et ad trahendum Summum Pontificem in partes Regis Gallorum. Tercii asserunt ad componendum differentias inter Summum Pontificem et communitatem Florentinorum, qui retroactis temporibus consanguineos Summi Pontificis omnemque familiam Mediceam civitatem Florentinam cum dedecore et dispendio ingenti exire omnibusque dignitatibus se abdicare coegerunt. Summus etenim Pontifex totis viribus expeditionem contra illos parat pro estate futura. Neque aliquid magis cordi habet, quam vindictam atque victoriam ex Florentinis reportandam.

Constans denique fama est per totam Italiam Cesaream Maiestatem pro estate futura Italiam ursoram. Quapropter etiam et dominium Venetorum quinquaginta triremes novas, omni genere armorum et instrumentorum bellicorum instructas, die noctuque fabricare facit.

In Regno Neapolitano die prima Decembris sex ex magnatibus illius Regni, inter quos et Dux⁵⁾ unus erat, capite privati sunt.

Die octava Decembbris Cardinalis⁶⁾ quidam a Cesare missus ad Summum Pontificem, diu expectatus Rome, tandem Ianuam appulit, quem dicunt secum afferre summam pecuniarum satis numerosam ad solvendum stipendum exercitui antiquo, qui nunc in Regno Neapolitano ex octo millibus constans, proficiscitur de civitate in vel ante civitatem, recuperando ea, que exercitus Gallicus occupaverat et que dominium Venetorum intercepta tenuit, et pleraque castella et civitates adhuc tenet, deinde ad colligidendum et conscribendum exercitum novum in favorem Summi Pontificis contra Florentinos. Quem Cardinalem Andreas Doria cum viginti quinque triremibus conducere debet Romam.

In Germania trepidatur totaque Germania pertimescit vires Imperatoris Thurcarum et expeditionem, quam parat ad Regnum Hungarie, quo forsan non contentus alia etiam dominia Christianitatis adoriri conabitur viribus et potencia sua. Pro festo Purificationis Marie celebravit Liga Sevica⁷⁾ conventionem Augste, cui et Serenissimus Rex Ferdinandus omnesque dicte lige incorporati interfuerunt.

Conventio Generalis Germanie indicta est pro die XXI Marcii, id est dominica Palmarum, celebranda in civitate Spirensi, lingua Germanica vocatur Speyer.

1) probabiliter François de St. Pol

5) Pandone di Boiano.

2) Franciscus I.

6) Franciscus Quiñones.

3) Carolus V.

7) recte: Suevica.

4) Clemens VII.

z) sic in ms.

N. 130.

Lomża, 17.III.1529.

*Ioannes Wojsławski, canonicus Varsaviensis et notarius Lomzensis,
Theodorico (Thetrich) Slywyensky, Ducatus Prussiae supremo consiliario,
pro piscibus sibi missis gratias agit; de magnitudine dotalicij «illustri-
simae principis suae» [Annae ducis Masoviae] refert.*

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

N. 131.

Ex Nova Civitate Korczyn, 23.III.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro litteris manu ducis propria scriptis gratias agit et perpetua servitia
offert.*

Sigill.

(Autogr.)

Iam ed.: A.T.XI, 96.

H B A, B 2, K.352.

N. 132.

Cracoviae, 27.IV.1529.

*Nicolaus Szydłowiecki, castellanus Sandomiriensis, Regni Poloniae the-
saurarius,
Alberto in Prussia duci
Preslaum Lanckoroński commendat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Quamvis nihil dubitem mei Domini et germani colendissimi, Domini Cracoviensis Castellani et Capitanei ac Regni Polonie Magni Cancellarii,¹⁾ comendacionem posse sufficere pro Generoso et Strenuo milite, Domino Preslao Lanczkorunski, amico meo charissimo, in gratiam Vestre Dominacionis Illustrissime, tamen quia erga me ipsam semper novi Principem faventissimum et graciosum, illi eciam fisus, hunc excellentissimum militem Illustrissime Dominacioni Vestre comendare et partes meas, quantulecumque sint, addere volui amore ipsius, tum per ipsam Illustrissime Dominacionis Vestre incolumitatem, quam sibi eque propriam sinceriter precor invisere unaque opera rogare, ut cepta gratia me prosequi non desinat, suum addictissimum, omni occasione se offerente.

Observat et amat Illustrissima Dominacio Vestra Spectabilem et Magnificum Dominum et Capitaneum Cracoviensem, Dominum meum germanum colendissimum, loco fratris... Cracovie, 27 Aprilis 1529.

Illustrissime Dominacionis Vestre
Nicolaus de Schidlowiecz, Castellanus Sandomiriensis,
Regni Polonie Supremus Thesaurarius
a) servitor manu sua.^{b)}

a)-b) *manu propria*.

1) *Christophorus Szydłowiecki*.

N. 133.

Ex Nova Civitate Korczyn, 28.IV.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro litteris ducis manu scriptis gratias agit et servitia offert.

Sigill.

(Autogr.)

Iam ed.: A.T.XI, 158.

H B A, B 2, K.352.

N. 134.

ex Nova Civitate Korczyn, 28.IV.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de edicto imperiali contra ducem edito; de confirmatione concordiae inter
ducem et regem Poloniae [Sigismundum I] ab imperatore [Carolo V]
petenda; de nuntio regio marchioni Georgio mittendo; nova Hungaria
mittit.

Sigill.

(Annexa: 1. exemplum litterarum Sigismundi I Carolo V imperatori,
25.III.1529;

2. ex. litterarum Ioannis Katzianer, consiliarii regis Hungariae, ad
Szydłowiecki, 31.III.1529;

4. ex. litterarum Hieronymi Łaski, ad eundem, 19.IV.1529;

4. ex. litterarum eiusdem ad eundem, 26.IV.1529)

Iam ed.: A.T.XI, 159 (sine annexis, quae hic publicamus).

H B A, B 2, K.352.

Annexum I: Sigismundus rex Poloniae Carolo V imperatori, 25.III.1529:

Serenissimo et Excellentissimo etc.

Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae etc.

Serenissime Princeps, etc.

Significavit nobis hiis diebus Illustris Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis, in Prussia, Stetinensium, Pomeraniae, Cassubiarum,

Sclavorum, in Slesia Ratiboriensi et Carnoviensi etc. Dux, Burgravius Nurembergensis et Princeps Rugiae, nepos noster charissimus, quod cum iure optimo Ducatus Opoliensis et Ratiboriensis in Slesia ad ipsum pertineant, ac post obitum moderni Domini Ducis Opoliensis¹⁾ devolvi merito debeant ex certis contractibus, iuxta iuris communis et patriae usum solenniter confectis et per eos, ad quos de more pertinet, publice et libere comprobatis, quibus auctoritas et confirmacio accessit Serenissimorum olim Principum Wladislai et Ludovici, Ungariae et Boemiae Regum, fratribus et nepotis nostri utriusque desyderatissimi, in quorum obsequiis Illustris Dominus Dux Georgius meliorem aetatis sua partem, non sine impendiis multis, gloriose tamen consumsit, et pro meritis ac fide sua ab ipsis Serenissimis olim Regibus in maxima veneracione et gracia semper habitus est, ut nocius sit hoc, quam vel preconiis ullis explicari possit, instat nunc ipse Illustris nepos noster, quo apud Serenissimum Principem Dominum Ferdinandum, Ungariae et Boemiae²⁾ Regem, Maiestatis Vestrae Caesareae fratrem charissimum, post suscepta illius Maiestati Regni Bohemiae gubernacula, iurium et privilegiorum suorum, in ipsis Ducatibus iuste et rite acquisitorum, confirmationem obtinere posset, quando presertim nihil preterea eius Illustri Dominacioni deesse videatur, cum et vasalli utriusque Ducatus fidelitatis iuramentum eius Dominacioni prestiterint, et sortem non contemnendam in altero Ducatu iam olim hoc iure possideat.

Non desunt tamen, qui adversantur tam iustis precibus Illustris Domini Marchionis atque Serenissimum Regem Ferdinandum remorantur ab exhibenda liberaliter petita confirmatione, ut Vestra Maiestas ex rescripto tractatum, qui hac de re Pragae apud Maiestatem illius habiti sunt, plane intelligere dignabitur. Cumque ob arctae necessitudinis vinculum teneamur adesse Illustri Domino Marchioni, qui nobis ex germana sorore nepos est admodum dilectus, rogamus Maiestatem Vestram Caesaream, velit auctoritatem suam (qua cunctos antecellit) interponere apud Serenissimum Regem Ferdinandum, fratrem suum amantissimum, ut confirmatis privilegiis et iuribus Illustris Domini Marchionis, Ducatis ipsis libere, dum tempus advenerit, eum potiri admittat.

Quam gratiam etsi olim meruerit domus Illustrium Dominorum Marchionum Brandenburgensium avo et Maiestatis Vestris, dum in Serenissimi olim Principis Maximiliani Imperatoris parentes et fratres huius Domini Georgii insigniter servientes, ac nuper in obsequiis Serenissimi Regis Ferdinandi Illustris Dominus Cazimirus in Hungarica expeditione mortem opecierit, mereri tamen perpetuo et ipse Dominus Georgius Marchio cum fratribus et filiis suis utriusque Maiestati Vestrae contendet. Nec dubitamus, quod Maiestas Vestra, pro clemencia sua, preces nostras admittere et apud charissimum fratrem suum efficere dignabitur, quo Illustris nepos noster voti sui compos efficiatur, quandoquidem tanta sint istius prosapia erga Maiestates Vestras merita, ut dignus sit Illustris Dominus Marchio Georgius vel tantilo²⁾ praemio,^{a)} ubi eciam nihil iuris illi sit in eisdem^{b)} Ducatibus, ut ex hac beneficia et liberalitate testatum sit omnibus, quanta gratitudine fidelia eorum et indefessa obsequia a Maiestatis Vestris referantur. Unde aliis ad crescat fervor Principum animos egregiis facinoribus devinciendi.

Quod utrique Maiestati Vestrae in laudem et immortalem gloriam cedet, et nos una cum ipsis Dominis Marchionibus, nepotibus nostris charissimis, tantam graciam amiciciae officiis perpetuo mereri studebimus. Expectamusque a Maiestate Vestra ex animi nostri sentencia

responsum simul et litteras Maiestatis Vestrae ad Serenissimum Principem Dominum Ferdinandum, Ungariae et Boaemiae^{a)} Regem,^{b)} fratrem Maiestatis Vestrae charissimum, negocium praefatum Domini Marchionis promoventes... Datum in civitate nostra Vilnensi, feria quinta magna, 1529.

a) sequuntur verba expuncta: ubi eciam nihil z) sic in ms.

b) supra lineam scriptum.

1) Ioannes vel Janussius ob. 1532.

Annexum II. Ioannes Katzianer ad Christophorum Szydłowiecki, 31.III.1529:

Illustris Domine etc.

Litteras avunculi nostri, Domini Sigismundi de Herberstain, Consiliarii ac Oratoris regii etc., cum litteris Graciouse Dominacionis Vestre ad nos die decima quarta Marcii emissis, die vicesima octava mensis eiusdem debita cum reverencia ac hilari fronte accepimus. Et primum quidem ex iam dicti Domini avunculi nostri litteris intelleximus eundem nuper Graciosam Dominacionem Vestram convenisse ibidemque satis perhumaniter et acceptum et per dies aliquos honorifice tractatum. Preterea eciam Graciosam Dominacionem Vestram sincera quadam in nos et gracia et amicicia affectam noticiamque nostri summopere desiderare. Quod quidem tum hilari, tum eciam grato accepimus animo, dabimusque operam cura et diligencia qua poterimus summa animum istum in nos benevolum, amiciciam eciam istam in omnibus nobis possibilibus recompensare.

Nolumus tamen Graciosam Dominacionem Vestram^{a)} latere nos hactenus ex verbis nonnullorum, quibus fortasse amicicia nostra mutua odio est, nihil aut^{b)} parum boni de eadem sperasse. Istam tamen suspicionem iam nunc ex prenominati Domini Sigismundi de Herberstain^{c)} penitus extinxerunt poteritque Graciosa Dominacio Vestra firmissimam de nobis concipere spem nos eidem in negotiis quibusvis arduis, quoad vita et bona nostra duraverint, inservituros paratissimos semper fore.

Et quando nonnulli ex Polonia indies magis ac magis Regie Maiestatis, Domini nostri graciissimi, Regna precipue Hungariam eiusdemque incolas, hostiliter proprio quodam motu invadere ac damnificare, neque tamen more hostium hostilitati inniti, immo saltem quemadmodum latrones, strata publica claudere consueverint, iccirco Graciosam Dominacionem Vestram quam possumus officiosissime rogamus et requirimus, eadem dignetur pro avertendis incommodis et periculis, que utrisque Regnis, tam Hungarie quam Polonie, exinde oriri possent, pro conservanda eciam concordia et affinitate, qua utraque Maiestas Regia, tam Hungarie et Boemie quam eciam Polonie, nodo quodam insolubili coniuncta est, in eosdem obsessores viarum, ut merentur, animadvertere ac huiusmodi incommoda et pericula precavere. Quod econtra nos quoque facturos Graciosa Dominacio Vestra re ipsa comperiet.

Quod si vero Graciosa Dominacio Vestra per subditos Regie Maiestatis, Domini nostri graciissimi, vel in minimo gravaretur, poterit eadem id nobis significare. Curabimus nos, ut omnia ista simili modo avertantur.

Nos ex gratia divina valetudine prospera adhuc prediti, castrum Vhes obsidemus. Laboratur per nostros fodiendo noctes diesque. Hodier non die murum per fossas subterraneas attigimus speramusque in tribus aut quattuor diebus finem huic obsidioni facturos. Cras pulvres supponentur, quibus accensis castrum funditus erui ac precipitari non diffidimus. Nos Graciouse Dominacioni Vestre, cui nos et servicia nostra

commendamus, quam eciam ad Nestoreos usque annos felicissime valere optamus, pro responsione latere noluimus. Datum ex castris Vhes metatis, die ultima Marcii, anno Domini MDXXXIX.

Ioannes Catzianer
Eques Auratus Regie Maiestatis Hungarie
et Boemie etc., Capitaneus Carniole Supremus,
Consiliarius et Capitaneus exercituum
Generalis etc.

a) *in ms.* Vestre
b) *in ms.* autem

c) *sic in ms., probabiliter debebat esse:* Istam
tamen suspicionem littere etc. extinxerunt

Annexum III. Hieronymus Łaski ad Christophorum Szydłowiecki
19.IV.1529:

Illustris etc.

Quod incolumem esse intelligam Vestram Illustram Dominationem, itaque esse in propinquuo laetor plurimum, nam si eciam egisset et in Gostinin, nequaquam neglexisse illius invisere valitudinem et nunc iam diu eius non caruisse presencia, nisi mihi fuisset primum visenda Serenissima Princeps Hedvigis, apud cuius Celsitudinem isto et crastino die quicquid superest negoti finiam et demum ad Vestram Illustram Dominationem ibo, ubi et statum rerum Hungaricalium, tum demum meam privatam causam Vestrae Illustri Dominationi aperiam. Interim hoc rogo, ut veteri gratia ac amore suo me et negotia mea complecti dignetur. Nam si est aliquis, qui hoc tempore vivit vel vixit, certe est is Vestra Illustris Dominacio, quam observare uniceque amare volo ac volui semper... Cracoviae, 19 Aprilis, anno Domini 1529.

Hieronimus de Lasko etc. manu propria
subscrispsit.

Annexum IV. Hieronymus Łaski ad Christophorum Szydłowiecki
26.IV.1529.:

Illustris etc.

Iam id, quod ex Tharnow prescripseram, facio currenterque ad Vestram Illustram Dominationem venio dicturus non solum ea, que a Serenissimo Domino meo in commissis tuli, sed etiam visurus sanitatem illius, quam ei toto corde faveo. Quare rogo significare dignetur, an hoc Vestrae Illustrati non esse molestum debeat. Intellexi enim Dominum Sigismundum, Boemie Regis Oratorem, apud illam esse, nec vellem Vestre Illustri Dominationi suspicionem augere, cum forsitan illa carere vix possit. Itaque rescribat ea in re Vestra Illustris Dominatio manuque sua subscribat, an illuc veniendum mihi sit. Cuius presentiam admodum cupio... Ex Oppatowicz, 26 Aprilis, anno 1529.

Hieronimus de Lasko etc. manu sua
subscrispsit.

In dorso: Sue Illustri Dominationi, Domino Dominoque meo, Regni Polonie Cancellario dignissimo.

N. 135.

Płock, 13.V.1529.

*Andreas [Krzycki], episcopus Plocensis,
Alberto in Prussia duci*

*pro nobili Narzymski, qui per capitaneum Olstinensem fidei sponsione
obstrictus, coram ipso in persona comparere debet, ut tempus eiusdem
comparitionis aliquid differatur.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 184.

H B A, B 2, K.352.

N. 136.

Vilnae, 28.VI.1529.

*Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis,
Alberto in Prussia duci*

pro litteris per Felicem de Allen (Aldenn) sibi allatis gratias agit.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

N. 137.

Pułtusk, 29.VI.1529.

Episcopus Plocensis [Andreas Krzycki]

Alberto in Prussia duci

*pro Iacobo Bartnicki, a quodam capitaneo ducis sponsione fidei obstricto,
ut ei iustitia reddatur.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 263.

H B A, B 2, K.352.

N. 138.

Vilnae, 17.VII.1529.

Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

*de litteris a rege in negotio Georgii marchionis Brandenburgensis ad
[Janussem] ducem Opoliensem scriptis.*

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Litteras ad Illustrem Dominum Ducem Opoliensem in negocio Illustrissimi Domini Georgii Marchionis, fratris Vestrae Illustrissimae Dominacionis carissimi, Maiestas Serenissimi Regis nostri scribi ita man-

davit, quemadmodum prescriptum quoque erat de mente fratriis Vestrae Illustrissimae Dominacionis, resecatis quibusdam verbis, de quibus suspicio esse posset, quod irritarent parum solidae amiciciae corda, ut intelligere poterit Vestra Illustrissima Dominacio ab exemplo earundem litterarum, quod simul cum litteris ipsis accipiet. Quicquid deinde a servitute et obsequiis meis in laudem et honorem Vestrae Illustrissimae Dominacionis prestari poterit, nil pretermittam, quod non sincere sim facturus, commendans iterum me in gratiam Vestrae Illustrissimae Dominacionis. Cui precor Nestoreos annos in multa foelicitate. Datum Vilnae, XVII Iulii, anno Domini MDXXIX.

Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominacionis
servitor Ioannes Choienski
Archidiaconus Cracoviensis manu sua.

N. 139.

Vilnae, 23.VII.1529.

Nicolaus Wolski, castellanus Sochaczoviensis, curiae reginae Bonae magister,

Alberto in Prussia duci
de recuperata regis [Sigismundi I] valetudine; de oratoribus Turcarum,
regis Bohemiae et Galliae in aula regia praesentibus.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Eunte istic hoc Cubiculario, nolui esse adeo negligens, quin officio et debito satisfacerem meo, imprimisque sanitatem Illustrissimae Dominationis Vestrae inviserem et servitia mea eidem semper paratissima, ut Domino meo, offerrem.

Nolui quoque ignorare Illustrissimam Dominationem Vestram Sacram Maiestatem Regiam iam, Domino volente, optime convaluisse viresque pristinas reasumpsisse, fuisseque Maiestatem Suam heri, una cum Sacra Maiestate Reginali ac Illustrissimis liberis, in campo equestres, ubi solatii gratia lepores, anates venabantur. Nova in praesentiarum nulla sunt, saltim quod Orator Imperatoris Turcarum¹⁾ iam propediem venturus est. Cracoviae quoque sunt Oratores Serenissimorum Bohemie²⁾ et Francie³⁾ Regum... Ex Vilna, in crastino festi Sancte Marie Magdalene, anno Domini MDXXIX.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre
Nicolaus Volski, Castellanus Sochaczoviensis
Sacre Reginalis Maiestatis Curie Magister,
Sanocensis, Lomzensis, Visnensis Capitaneus.

1) *Solimanus II*

2) *Ferdinandus I.*

3) *Franciscus I.*

N. 140.

Vilnae, 1.VIII.1529.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
de restituta regis [Sigismundi I] valetudine et de proxime futura eius-
dem ad venationes projectione refert; mittit litteras confirmationis
regias solummodo latine, non etiam germanice scriptas, «cum non
sit consuetum in Cancellaria Maiestatis Regiae scribi aliter quam
latine».*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 301.

H B A, B 2, K.352.

N. 141.

Cracoviae, 8.VIII.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
nobilem Ioannem Glaubicz, aulicum regis, commendat, ut scilicet bona
primi mariti uxoris eius ad ipsum devolvantur; de Turcis omnibus
viribus contra regem Ferdinandum contendentibus et de eorum iam
Nandor Albam (Belgradum) adventu; de rege Ioanne adhuc in arce
Lippa (in ms. Lypa) permanente; de Sigismundi ab Herberstein ad
se adventu; de bona valetudine regis et de eius venationibus; de die
futuri conventus Petricoviae celebrandi; de legatione Antonii Rinconis,
oratoris regis Galliae [Francisci I] et episcopi Sirmiensis [Stephani
Broderici], consiliarii regis Ioannis; de litteris ab Antonio Fugger
die 4 Iulii Augusta ad se datis.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 305.

H B A, B 2, K.352.

N. 142.

Cracoviae, 9.VIII.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
se Iostum Ludovicum Decium, secretarium regium, adhortatum esse
refert, ut causam ducis curare pergeret; mittit aliqua nova et exem-
plum litterarum Caroli Kuczer (quod tamen in Archivo non inve-
nitur).*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 306.

H B A, B 2, K.352.

N. 143.

Cracoviae, 20.VIII.1529.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius Regni,
Alberto in Prussia duci
pro Erasmo Kartowicz (in ms. Carlovicz), cive Cracoviensi, qui post
mortem Sebastiani Foyt, civis Regiomontani, legitimum se eius suc-
cessorem esse assertit.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 324.
H B A, B 2, K.352.

N. 144.

Cracoviae, 24.VIII.1529.

Andreas Tęczyński, palatinus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
pro Erasmo Karłowicz (cfr. N. praeced.) et sorore eius [Anna] in causa
successionis eorum post obitum Sebastiani Foyt.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

N. 145.

Cracoviae, 24.VIII.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro Erasmo Karłowicz et sorore eius Anna in negotio successionis eorum
post decessum Sebastiani Foyt.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

N. 146.

Kubrae, 7.IX.1529.

Christinus Kuberski, vexillifer Visnensis,
Alberto in Prussia duci
faltones aliquot mittit.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.352.

Cracoviae, 8.IX.1529.

Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius Regni,
Alberto in Prussia duci
non obstantibus rationibus a Gedanensibus adductis, ut nova moneta
aboleatur, se apud regem [Sigismundum I] operam suam interpo-
suisse, ne quid hac in re immutetur sine praevia consultatione pu-
blica et ducis sententia cognita.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 345.

H B A, B 2, K.352.

Cracoviae, 10.IX.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de parum felici exitu Comitiorum imperialium Spirae celebratorum; de
summa defensionis super negotio Pruthenico a nuntio ducis secre-
tariorum Georgii marchionis Brandenburgensis tradita; transumptum
iurium Regni super terram Pruthenicam se, rege absente, mittere
non posse significat; de negotio novae monetae cudendae, cui prae-
sertim Gedanenses adversantur; de conatibus magistrorum Germa-
niae et Livoniae, qua de re Łaski, palatinus Siradiensis, ex Dania
redux retulit; de eiusdem Łaski proxima in Hungariam profectione;
de Turcis in Hungariam ingressis; de litteris ex Bohemia a domino
Trčka (Terczka) acceptis; de reconciliatione imperatoris cum rege
Galliae; mittit exemplum litterarum regis Poloniae [Sigismundi I]
ad ducem Ianussium Opoliensem in negotio marchionis Georgii Bran-
denburgensis.

Sigill.

(Annexa: Exemplum litterarum regis ad Ianussium ducem Opolien-
sem in negotio Georgii marchionis Brandenburgensis de die 16.VII.
1529 et novitates de Kesmark 7.IX.1529.)

Iam ed.: A.T.XI, 348.

H B A, B 2, K.352.

Annexum I. Sigismundus I rex Poloniae ad Ianussium ducem Opolien-
sem, 16.VII.1529:

Sigismundus, Dei gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuaniae, Russie
tociusque Prussie ac Masovie etc. Dominus et Heres.

Illustri Principi Domino Ianusso in Slesia Duci Opolensi et Ratiboriensi,
affini nostro charissimo, salutem et felicitatem.

Illustris Princeps, Affinis noster Charissime.

Expositus nobis litteris atque nunciis suis satis diligenter et copiose
Illustris Princeps Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis et nepos
noster charissimus negotium suum Oppoliense et Ratiboriense, quod illi
cum Illustritate Vestra intercedit, contractum scilicet et agnationem

legalem inter Illustritatem Vestram, Dominum Ducem Valentini Ratiboriensem defunctum ac predictum nepotem nostrum, quo idem nepos noster omnium bonorum Ducatumque Illustritatis Vestre legitimus, cognatione scilicet legali, heres factus est. Et quemadmodum ipse contractus non tam voluntate Illustritatis Vestre consistat, quam etiam Serenissimorum Regum Hungarie Wladislai, Friderici⁷⁾ ac Ludovici sanctissime memorie, nepotis nostri charissimi, inclite quoque Corone Regni Boemie semel prestito publicis in Comiciis consensu communitus sit, iuxta hec vel ex privilegio antiquo Ducum Oppoliensium licitum fuisse agnationem eiusmodi factam, quod scilicet iam pridem, atque controversia premissa, sit Ducibus Oppoliensibus libera rerum suarum dispositio.

Preterea addebatur subditos eorundem Ducatum, iussu regio, Serenissimi scilicet Ludovici Regis, nepotis nostri, actedente, Illustritatis Vestre consensu iuramenta Illustritati Sue prestitis, in casum scilicet, posteaquam Illustritatem Vestram e vita decidere contingat, se haud alio usuros Principe et Domino hereditario, quam Illustri Marchione Georgio, nepote nostro charissimo. Proinde etiam se legitimam possessionem,^{a)} vel quasi, prenominatorum Ducatum adeptum, ita ut pacta hec sic regiis eisdemque multiplicibus diplomatisbus, iussibus, privilegiis perantiquis, consensu incliti Boemie Regni propriaque voluntate Illustritatis Vestre et pie defuncti Domini Valentini Ducis Ratiboriensis, fulcita et splendida⁷⁾ vestita, nil preter fidem desyderare videamur.⁷⁾

Adiecerat etiam Illustris nepos noster non deesse sibi emulos, qui ius suum, quantumcumque perspicuum atque iam iam ferme agricolis^{b)} cognitum, apud⁷⁾ Serenissimum Ferdinandum Regem, et eum quidem heredem et successorem premortuorum Regum Hungarie et Bohemie, controvertere audeant claramque lucem obfuscare, ut perneget adhuc Serenissima Maiestas, frater noster charissimus, id, quod retro Reges Wladislaus et Ludovicus voluerunt confirmaruntque, denuo comprobare, toties ab ipso Illustri Domino Marchione, nepote nostro, simul et aliis Principibus viris, ob eam rem obsequiose et peramicce interpellata.

Demum Illustritatem Vestram inductam esse per emulos nepotis nostri, ut nova pacta novosque contractus cum aliquo alio iniret super hiis Ducatibus, in quibus assequendis cum iam eiusdem Illustritatis, nepotis nostri, ius sit radicatum, nemo antevertere aut etiam ullo contractu se iuvare possit, quomodo et ille non consentiat, et officiales, Capitanei ac subditi illius Ducatus iuramenta et omagia iam pridem nepoti nostro, Vestre Illustritatis consensu interveniente, semel prestita, eo vivente et reluctante, alteri prestare nulla unquam ratione citra notam possint. Suspicaturque Illustris nepos noster consultores istos vel hac ratione Vestram Illustritatem ad irritanda priora vota inducere, quasi Serenissimi Régis Ludovici prematura mors senectam Illustritatis Vestre venerabilem antevertent, dissolverit contractum priorem, nondum suum effectum sortitum. Cum immemor forte fuerit Illustritas Vesta, quo nomine illa Ducatum Ratiboriensem vel vivo Ludovico Rege possederit atque hucusque illo usa fuerit.

Hec omnia ut coram Serenissimo Domino Rege Ferdinando, fratre nostro charissimo, Prage, atque haud ita pridem Spyre, coram Inclitissimi Imperii Romani Ordinibus acta sunt, Illustris nepos noster uberioris nobis declarari fecit, a nobis, amico et consanguineo suo, obsequiose maiorem in modum et amice orans, dignaremur illi hoc iure consilio et auxilio nostro regio, pro arctissimo sanguinis vinculo, adesse.

Et quoniam tam sedule nec iniuste preces atque illa sanguinis coniunctio, non magis quam ipsius negotii ita nobis recensenti perspicuentes, nos impellunt eidem Illustri nepoti nostro et consilio nostro et auxilio suffragari, petimus ab Illustritate Vestra, Principe non minus integritate vite quam nominis claritate celebrato, nobisque vel ob hoc ipsum cumprimis amato, ne in aliquem contractum induci se paciatur, qui quovis modo priori et supramemorato, inter Illustratatem Vestram, Ducem Valentimum et nepotem nostrum charissimum iam pridem confecto, obstrepat et aduersetur. Quare Illustritas Vestra privilegiorum Ducatus Opoliensis splendorem, duorum premortuorum Inclitissimorum Regum voluntatem, fratris scilicet et nepotis nostrorum charissimorum, famam et auctoritatem non ita in sepulchro, ut^{c)} in vita tueri, turpe nobis duceremus, preclari Regni Boemici perennem famam, nostram item benevolenciam, nec minus bonorum iusticieque amantium omnium amorem, Vestre etiam Illustritatis illesum hactenus honorem una eademque opera conservabit.

Nosque vicissim Illustritatem Vestram amicicia nostra non vulgari prosequi nunquam cessabimus eiusque negotiis non minus, quam Illustris nepotis nostri, Domini Georgii Marchionis, adesse non negligemus. Neque dubitamus, cum Illustritas Vestra obsequundatura sit honeste, iuste et necessarie nostre peticioni, percupimus tamen huic nostro tabellario litteras ab Illustritate Vestra dari, quibus certiores reddamur, quid eadem facere constituerit. Sic a nobis amico eodemque optimo animo monita, quo deliberationis materia nobis suppeditetur, quid in gratiam, conservationem item iuris haud obscuri Illustris nepotis nostri faciendum sit nobis, bene illi volentibus. Datum Vilne, XVI Iulii, anno Domini MDXXIX, Regni vero nostri XXIII.

Sigismundus Rex subscripsit.

In dorso: Copiae litterarum Regis Sigismundi in negocio Illustris Domini Georgii Marchionis ad Illustrem Ducem Oppoliensem.

a) *in ms. passionem*

c) *in ms. et*

b) *sic in ms., probabiliter pro: regnicolis*

z) *sic in ms.*

Annexum II: Novitates de Kesmark, 7.IX.1529:

1529 anno domini 7. Septembrys im Kessemarck.

Die zeytung seyt mir aus dem sel^{a)} geschryben worden:

An sant Partolomeus tag ist der Thurgk kin Ofen komen undt umme den Galgenpergk geharzyrt; seyt doch in dye stat nit kommen die knecht, so bey tausendt in der ordenug den ganzen tag auf dem platz gestanden und etwo 40 ader in dye 50 vor dy stat hinaus gewuscht und aldo^{b)} gehalten mit sambt dem pfleger aus dem^{c)} schloss, bey 30 husseren. Also haben die Thurcken auss unseren husseren eynen gezugkt und mit^{d)} hinwech gefuret. Auf dato 30. Augusto seyn zeytung kommen, das der Thurgk 2 sturm an der stat Ofen vorloren hat. Die knecht^{e)} haben auch in der stat schir alle Unger en erschlagen an das, was geflohen^{f)} ist. Und auf 28. Augusto syndt kommen ken Gran 3000 lancknhecht bey der nacht auf dem wasser. Man hat sie nicht wollen in die stat lossen; so haben sie eyn thor aufgehawen undt auch schir alle Unger en erschlagen. Gebe Gott das wol geroht. Es ist zu besorgen eyn grossens rutte: auf Allenburgk seyn 24. Augusto 20 thawsendt knecht kommen mit groff Nickloss von Salbn; aldo wart^{g)} man den grosen

haufen und kombt al tag mer folck nocher. Domit helf Gott, das der feynt getot wirt; er hot Ofen belegert mit 40.000 starck. Der pot Peter het gewislichen ander zeytung brocht, wan er wert frulichen durchkommen; ich schike wider eyn potten hinnen.

- a) in ms. sol
- b) praecedit expunctum: d
- c) praecedit expunctum: sch.lk
- d) sequitur expunctum: im

- e) in ms. kenecht vel kinecht
- f) correctum ex: geflogen
- g) ex alio correctum.

N. 149.

Vilnae, 13.IX.1529.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
famulum Stanislai Radziwill, certorum negotiorum causa in Ducatum
Prussiae missum, commendat; de die 18 Octobris ad elevationem
Sigismundi Augusti in magnum ducem Lithuaniae constituto.
Sigill.*

*Cfr. reg. Fischer, Briefe, 13. p. 390.
H B A, B 2, K.352.*

N. 150.

Budae, 30.IX.1529.

*Ioannes rex Hungariae
Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi, et Christophoro Szydłowiecki, Re-
gni Poloniae cancellario,
de iniuriis sibi a rege Ferdinando illatis conqueritur et intercessionem
apud regem Poloniae [Sigismundum I] sollicitat.
(Exemplar litteris Petri Tomicki vel Christophori Szydłowiecki ad
ducem Albertum annexum, quae tamen litterae in Archivo non re-
periuntur)
Iam ed.: A.T.XI, 363.
H B A, B 2, K.352.*

N. 151.

Budae, 30.IX.1529.

*Ludovicus Gritti
Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi, et Christophoro Szydłowiecki, Re-
gni Poloniae cancellario,
de proditione et desertione regis Ioannis eos accusat et interventionem
imperatoris Turcarum minatur.
(Exemplar litteris Petri Tomicki vel Christophori Szydłowiecki ad
ducem Albertum annexum, quae tamen litterae in Archivo non re-
periuntur)
Iam ed.: A.T.XI, 364.
H B A, B 2, K.352.*

N. 152.

Vilnae, 16.X.1529.

Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

gaudet, quod dux virus saevientis novi generis pestis sine valetudinis suaे detrimento superavit; admonet, ut dux litteras confirmationis regiae de donatione nuptiali uxori suaे facta, in linguam vernaculaм translatas, Petricoviam ad conventum Regni mittat, ut maiori sigillo regio obsignari possint, «nam in Cancellaria Maiestatis Regiae [Sigmundi I] nemo est ex amanuensibus, qui sermonis Almanici adeognarus esset, ut eas exscribere posset».

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 380.

H B A, B 2, K.352.

N. 153.

Vilnae, 31.X.1529.

Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis, praepositus Posnaniensis,

Alberto in Prussia duci

de loco et die celebrandorum, peste grassante, Comitiorum, cuius eligendi facultas episcopo Varmensi data est (pro terris Prussiae Regalis); mittit exemplum responsi regii civitatibus Prussiae in negotio cundae monetae dati.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 400.

H B A, B 2, K.352.

N. 154.

Cracoviae, 7.XI.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus et capitaneus Cracoviensis, Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de «Anglico sudore» in Prussia saeviente et de ducis eo infecti recuperata valetudine; de morte cancellarii ducis, Friderici Fischer, dolet; mittit nova de obsidione Viennae et alia.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime et Excellentissime Princeps etc.

Ad ultimum diem mensis preteriti reddidit mihi litteras Illustrissimae Dominacionis Vestrae Lodovicus Iustus, regius secretarius, ex quibus quidem litteris abunde cognovi, quo in periculo versata fuerat Illustrissima Dominacio Vestra, dum lues illa, quam Anglicum sudorem

vocant, conventum subditorum eius subito et ex improviso occupavit et perturbavit.

Nullis verbis explicari potest, quam vehementer ex hoc sim commotus et perturbatus, audiens rem tam atrocem, quae publicum et pernecesarium negocium hac periculosissima et presentissima lue impedivit et personam Illustrissimae Dominacionis Vestrae in tanto discrimine salutis posuit. Cuius salus et incolumitas tantae mihi curae est ac mea propria et filii mei parvuli Christophori, futuri servitoris Illustrissimae Dominacionis Vestrae.

Eciā vix dici potest, quanto dolore afficio ex obitu optimi ac doctissimi viri, Domini Friderici Fyscher, fidissimi Cancellarii et Consiliarii Illustrissimae Dominacionis Vestrae amicique mei desideratissimi. De cuius excessu non nos solum, qui Illustrissimae Dominacioni Vestrae debemus et illum pie defunctum unice amavimus, sed (ut ex aula regia mihi scribitur) et Rex ipse et tota ferme aula dolet et merito. Interiit enim vir talis, quales non adeo multos (me iudice) produxit Germania. Interiit, qui Illustrissimae Dominacioni Vestrae ob singularem virtutem et doctrinam ac in rebus bene gerendis dexteritatem fuit et charissimus et gratissimus et pernecessarius familiaris. Opto, ut cum nobis optimus mortuus est, vivat multo melior Christo, cuius misericordiam imploro, ut spiritum eius in sinum Abrahæ colloctet. Nihil autem dubito, quin Illustrissima Dominacio Vestra, pro sua inestimabili prudencia, talem sibi formabit et instruet Cancellarium, qualis futurus sit ad res bene gerendas peridoneus.

Ago eciam Optimo et Immortali Deo gracias quas possum maiores, quod Illustrissimam Dominacionem Vestram et clarissimam Principem Dominam Dorotheam, coniugem Illustrissimae Dominacionis Vestrae amantissimam, et liberos earum communes, salvam et incolumem ab hoc tali et tanto periculo servavit. Obsecro Illustrissimam Dominacionem Vestram, dignetur hoc tempore nihil magis curare quam bonam valetudinem suam, subducat se ab omnibus accionibus, quae cum multis et inter multos agi deberent.

Scribit mihi Illustrissima Dominacio Vestra de iudicio et anthidoto extemporali medici^{a)} sui adversus hanc calamitatem, et quod illud mihi mittere dignata est. Nihil tale accepi cum litteris Illustrissimae Dominacionis Vestrae. Fortassis per oblivionem et celerem litterarum expeditionem factum est. Eadem igitur plurimum rogo, dignetur huiusmodi anthidotum per primam occasionem mihi mittere. Rem in hoc mihi gratissimam est factura.

Quod autem servitorem meum Glaubicz attinet, quem Illustrissima Dominacio Vestra tam insigni gracia prosequuta est in hoc matrimonio, ut per me novo marito et per maritum novae nuptiae foeliciter cessit, iam illud probatissimum est, quod nullae diviciae apud Illustrissimam Dominacionem Vestram tanti sunt, ut deseratur amiciciae officium. De quo ago et habeo maximas gracias, relatus olim omni officiorum promptitudine.

Nova, quae hic allata sunt de soluzione obsidionis Viennensis, et quae mihi Magnificus Dominus Sigismundus¹⁾ scribit ex itinere, iam enim a nobis recessit, fortassis revocatus a Principe suo, ea omnia mitto hiis inclusa Illustrissimae Dominacioni Vestrae, quae sint longioris epistolae vice.

Mitto eciam et monetam, quae in obsidione cussa est. Caesar²⁾ ubi nunc sit et quid rerum molitur, non constat nobis. Quicquid tamen

accepero de hiis et aliis, curabo Illustrissimam Dominacionem Vestram cerciorem facere. Fuisse quidem fertur ipse Thurcorum Caesar³⁾ apud Budam in oppido Pesth, rediens a Vienna. Iam an ulterius processit necne, nondum constat.

Habeo Budae apud Serenissimum Dominum Regem Ioannem servitorem meum, missum in negotiis montaneis Dominorum Foggerorum. Expecto indies redditum eius.

Si hae litterae salvae pervenerint (nam per incertas manus eunt), rogo dignetur me cerciorem facere. Cui me, ut Domino et fratri plurimum gracioso, ex corde commendeo. Datum in arce Cracoviensi, septima Novembris, anno salutis MDXXVIII.

Christophorus de Schidloviecz, Castellanus et Capitaneus Generalis Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

b) Veste Illustrissime Dominacionis totus, quidquid est, servitor et frater manu propria.^{c)}

a) in ms. medicis

2) Carolus V.

b)-c) manu propria.

3) Solimanus II.

1) Herberstein.

N. 155.

Przasnysz, 25.XI.1529.

Adrianus Gołyński, castellanus Czernensis,

Alberto in Prussia duci

pro Matthia Dorsz, oppidano et mercatore Przasnissensi, ut capitaneus de Szczyno in Ducatu Prussiae eum liberum cum mercibus suis dimittat.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.352.

N. 156.

Wieliczka, 27.XI.1529.

Severinus Boner, zupparius Cracoviensis,

Alberto in Prussia duci

scire vult, quod genus cupri Cracoviae emendi dux desideret; de ducis et uxoris eius nova aegritudine affectorum restituta valetudine gaudet; nova ex Hungaria, Germania, Italia.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Servitutis humillimae obsequiorumque deditissimorum in gratiam Illustrissimae Dominacionis Vestrae cum debita reverencia obsequentissima commendacione premissa.

Accepi cum eo, quo decuit, honore binas litteras Illustrissimae Do-

minacionis Vestrae, ex Monte Regio, civitate eiusdem, die 6 et 10 mensis Novembris datas, utrasque immensam incomparabilemque Illustrissimae Dominacionis Vestrae gratiam in me, servitorem suum humilem, declarantes. Quam quod tam benigne mihi offerre pollicerique ac eadem me invisere graciosissime dignatur, immortales et quas possum maximas illi ago gratias, perpetuo et nunquam intermorituro servitorum meorum omnis generis conatu promeriturus inserviturusque.

Est autem in illius Illustrissimae Dominacionis Vestrae ad me litteris illud ferme precipuum, quod me mandato dignatur suo, ut Illustrissimae Dominacioni Vestrae cupri centenarios 100 in certam necessitatem eiusdem hinc subministrarem simulque, an eius hic tantus numerus et quo precio ordinari, deinde ad Gedanum per Istulam transmitti possit, Illustrissimae Dominacioni Vestrae significarem. Quia in re hoc inprimis Illustrissimam Dominacionem Vestram scire velim Cracoviae non hanc tantum, sed decuplicem vel plus eo cupri summam emptui prostare, idque apud alios quidem multos, sed maxime apud Fugkaros, unde ceteri illi questus gracia mercantur. Nam ego quotannis ingentem cupri numerum indidem emo in necessitatem fundendorum tormentorum belli-corum ac aliorum operum Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi.

Habetur autem hic eiusdem genus triplex: unum quippe cuprum rubeum, cuius centenarii singuli florenis $4\frac{1}{4}$ per 30 grossos Polonicos vendunt. Id tormentorum campanarumque fundendarum usui pecculiare est. Aliud genus fusum cuprum dicitur, ad minuta opera ac aurichalco ex eo eliciendo factum. Quod centenariatim per florenos 5 numeri Polonici venditur. Postremum vero in laminis tenuibus consistit. Id in contegendis edium tectis usurpatur et centenariis singulis per florenos 6 venundatur. In ista eius diversitate, in litteris Illustrissimae Dominacionis Vestrae minus expressa, equidem animi dubius, quod potissimum sibi mitti Illustrissima Dominacio Vestra cuperet, non potui in presenciarum mandatis eiusdem obsequi, alioquin inserviendi Illustrissimae Dominacioni Vestrae ac eius graciā serviciis meis mihi demerendi, locupletandi in immensumque propagandi affectissimus ac nihil eque in votis habens. Plenissime tamen illi morem gerere adnitar, ubi me ea de re cerciorem reddere dignabitur.

Quod autem defluitacionem eius in Gedanum attinet, ea in vere, plurimum pro tempore Quadragesimae vel circiter, plenis alveis aquas agente Istula exerceri solet. Quo tempore tum cuprum per factores Fuggarorum in Gedanum, tum sal Warshowiam ad Cameram Regiam per me demitti defluitarique curatur. Qua alterutra defluitacione cuprum Illustrissimae Dominacioni Vestrae una transmitti compendiosius poterit, quam ut illud duntaxat solum defluitari debeat, que res magnis certe constiterit sumptibus. In defluitacione autem a Cracovia ad Gedanum a singulis quaternis aut $4\frac{1}{2}$ centenariis cupri singuli floreni per triginta grossos pendi solent. Verum ego hec omnia quam maxime e re et voluntate Illustrissimae Dominacionis Vestrae facta dabo operam, duntaxat me super illis edocere dignabitur de mente sua Illustrissima Dominacio Vestra.

Porro quod Illustrissima Dominacio Vestra ista insigni gratiae suaē amplissimae propensitate in me uti non designatur, in hoc, quod frequiores meas ad se litteras desyderare dignatur, equidem pro debito et affectu erga Illustrissimam Dominacionem Vestram meo neminem unquam tabellionem pretermissem velim, quin, quocies eius daretur oc-

casio, aliquid litterarum mearum illi Illustrissimae Dominacioni Vestrae preferendum dem. Quo nomine Magnificum Dominum Castellanum Cracoviensem ac Cancellarium¹⁾ illius pecii, ut si quos ad Illustrissimam Dominacionem Vestram occurrentes haberet, de illis mihi significatum velit. Hactenus vero quod minus sepe id fecerim, negotiis istis Sacrae Maiestatis Regiae mihi impositis effectum est. Que me identidem foris immorari diuci, Cracoviae manere rarius paciuntur. Hinc quoque commissum, ut, quod pridem factum oportuit, dolorem istum testari minus potuerim, quo ex tristi nuncio de casu acerbo Illustrissimae Dominacionis Vestrae ac de Illustrissimae Principis et Dominae, Dominae consortis eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae, nova admodum abominandaque egritudine, qua periclitata ferebatur, inter ceteros ego, servitor humillimus Illustrissimae Dominacionis Vestrae, magnopere percusus affiebar, nec multo post incredibili recreatus gaudio, ubi id mali evasisse pristinaeque restitutam validutini intellexi. Qua ut Illustrissima Dominacio Vestra cum illius Illustrissima Dominacione et maxime longeva et felicissima perfruatur, votis omnibus precor.

Ceterum, quod novarum rerum sibi perscribi aliquid Illustrissima Dominacio Vestra mandare dignatur, maxime vero Ungaricarum, harum nusquam minus esse crediderim quam hic, utcunque nobis proxima ad modumque confinis sit. Et quicquid illarum est, id Illustrissimae Dominacioni Vestrae non ignotum esse non dubito. Neque enim ignorat Imperatorem Turcarum,²⁾ ne quitquam obsidione pressa Wienna, abiisse. Quam qua die obsiderit, quid quoque die molitus sit, qua tandem abierit, omnium horum seriem ad unguem ex Wienna litteris cum multorum quidem aliorum, tum eciam Illustris Principis et Domini, Domini Philippi Ducis etc., Palatini Rheni, ac aliorum presignium Capitaneorum, quas aut coniunctim aut sigillatim scripserant, recensitam ac a me transscribi curatam Magnifico Domino Castellano Cracoviensi, id ut Illustrissimae Dominacioni Vestrae communicaret petenti, in scriptis dedi. Que eidem illum missurum certo scio.

Preterea mitto hic Illustrissimae Dominacioni Vestrae earum litterarum transumpta, quas ex Cashovia, Bistricia atque Buda a Domino Lasky accepi. Quibus que illic post Imperatoris discessum gesta sunt, scribitur. Sed et si Dominus Lasky, Dominus ac amicus iam a pueris, intime mihi coniunctus est, tamen in hiis litteris suis significasse mihi supersedit. Quod Magnifico Domino Palatino Cracoviensi concredidit, quippe quo uno neminem hic habet, cui plus secretorum de rebus suis communicare concredereque sit solitus. Id scilicet est, quod sibi Serenissimus Rex Ioannes Palatinatum Transilvanie contulerit. Quod quidem ego Illustrissimam Dominacionem Vestram celatum nolui, nam in suis ad me litteris, quibus quos prefecerit tantum mihi significat, de se nullam mencionem faciendo.

Item quid ex Germania habeatur, ex schedis eciam istis Illustrissima Dominacio Vestra intelliget, quas ex litteris ex Nuremberga mihi missis describere feci. In Italia quid rerum geratur, id haud dubie Illustrissimae Dominacioni Vestrae constat. Mihi proxime cum litteris ex Veneciis allati sunt articuli pacis inter Cesaream Maiestatem³⁾ et Christianissimum Regem Gallorum⁴⁾ sanctitae. Quos eciam Illustrissimae Dominacioni Vestrae transmitto. Pridie Sanctae Catherineae allate sunt mihi littere, quibus scribitur Ludovicum Gritti, Ducis Veneciarum filium, in vigilia Sancti Martini, que erat 10 Novembris, cum reliquiis copiarum traecto Danubio, in Turciam rectissimis itineribus Imperatorem secutum esse.

Item Serenissimus Rex Ioannes eciam discessum ex Buda parat propter pestis illic incrudescensis seviciem. Quod varii varie interpretantur. Sunt eciam, qui illum non tam a peste, quam a Serenissimo Rege Ferdinandō periculum veritum illinc consulto abiisse dicitant. A Maiestate Sua eciam scribitur illum Petrum Perenni, quem antea assum, excoriatum ac quadrifariam disiectum rumor erat, in gratiam susceptum, ac uxorem filiumque eidem redditos esse.^{a)} Is duodecim comitatus equis in castrum suum Sokolosh habitatum profectus dicitur. Porro de eveccione Serenissimi Principis, filii Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi, in Magnum Ducem Lithuaniae in die Sancti Lucae Illustrissimae Dominationi Vestrae liquere non dubito. Illinc quippe iam, quod faustum ac felix sit, redeunt, ad diem Sanctae Catherinae Radomiam ingressurae, ac inde recta Sacra Maiestas Regia Peterkoviam pro Convencione Generali, et Sacra Reginalis Maiestas cum Serenissimo Principe ceteraque prole Cracoviam profecturae...

Datum in Salinis Wyelicensibus, ad 27 Novembris, anno 1529.

Eiusdem Illustrissimae Dominacionis Vestrae

^{b)} humillimus servitor
Severinus Boner subscrispsit.^{c)}

a) sequitur expunctum: fertur

2) Solimanus II Magnificus.

b-c) manu propria.

3) Carolus V.

1) Christophorus Szydłowiecki.

4) Franciscus I.

N. 157.

Cracoviae, 29.XI.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de ducis et ducissae peste infectorum restituta valetudine gaudet; de re prospectato conventu ducis cum Friderico duce Legnicensi; de re monetaria et de Gedanensium vindicationibus; de regis [Sigismundi I] et sua Petricoviam ad Comitia proxime futura profactione.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Salutem etc.

Exprimere non possum, quanto desyderio desideravi nuncium, ex quo cercior fierem de salute et incolumitate Illustrissimae Dominacionis Vestrae et suae clarissimae Dominae coniugis, Dominae meae modis omnibus venerandae, cum antea et litteris Illustrissimae Dominacionis Vestrae et multorum significacione huc perlatum esset virus sudoris pestiferi dicionem et aulam Illustrissimae Dominacionis Vestrae occupasse furoreque eius fidissimos familiares, in quorum numero fuit Dominus Fridericus Fischer, vir doctissimus, Illustrissimae autem Dominacionis Vestrae Cancellarius, interissee. En heri allatae sunt mihi trinae litterae ab Illustrissima Dominacione Vestra, tercia et quinta

presentis ex arce Montis Regii datae. Quas ut cum ingenti desiderio expectavi, ita avidissime legi. Sed primae illae venerunt in manus, quibus describit Illustrissima Dominacio Vestra vim et crudelitatem pestifera illius sudoris, quas ubi legere cepi, dolere ipse vicem Illustrissimae Dominacionis Vestræ et suorum simul et (ut ingenue dicam) tremere ceperit. Cumque in eam particulam litterarum legens devenisset, quae loquitur de certamine Illustrissimæ Dominacionis Vestræ, quod ei fuit cum carnifice illo in presencia Illustrissimæ Dominae coniugis eius, gravidae equidem ac tenerrimæ, ac paulo post eciam eodem morbo infectæ, mox excusset mihi lachrimas dolor ille et labor utriusque Illustrissimæ Dominacionis Vestræ incomparabilis, et pre singultu vix legi potuit a me epistola. Verum cum me eadem docuit Illustrissimam Dominacionem Vestræ, simul et inclytam eius uxorem Principem Dorothœam, convaluisse horrendumque virus ex dictione et aula Illustrissimæ Dominacionis Vestræ abiisse, vehementer gavisus sum et Domino Deo gracias egi, quod in tanto periculosissimo periculo non deseruit in finem Illustrissimam Dominacionem Vestræ, sed eam nobis et Reipublicæ Christianæ in vivis reservavit. Imploravique ego, peccator homo, suam divinam misericordiam, servet Illustrissimam Dominacionem Vestræ diutissime sanam et in columem, ad laudem et gloriam nominis sui.^{a)}

Quod autem Illustrissima Dominacio Vestra scribit se et Reverendum Dominum Episcopum Pomezaniensem,^{b)} et alios plurimos servitores ac familiares suos, peste illa pestilentissima ammisisse, scimus, quod in potestate divina cuncta sunt posita, et non est qui resistat voluntati sueæ. Illustrissima Dominacio Vestra sit bono animo et hos eventus pacienter ferat, sperans semper meliora. Nemini enim perpetuo acerba infestaque fortuna est, quae saciata malis aequior esse solet. Et haec tam grandis calamitas, quam (Deo bene iuvante) Illustrissima Dominacio Vestra superavit, commutabitur in insigne quoddam solacium. Tentavit enim Dominus Illustrissimam Dominacionem Vestræ^{b)} ad probacionem, non in perditionem, dabitque pro hiis masculam prolem, quae longa serie annorum producet nomen Illustrissimæ Dominacionis Vestræ in benedictionem. Et hiis et proximis superioribus litteris scripsit mihi Illustrissima Dominacio Vestra de quodam anthidoto adversum hanc sudicam rabiem, quod illud mihi mitteret. Nihil accepi huiusmodi. Rogo plurimum, dignetur mihi hoc ipsum anthidotum, quo usa est aestuans, mittere, rem in hoc mihi factura gratissimam.^{c)}

De obsidione Viennensi, item et de solucione eiusdem obsidionis, dedi ad Illustrissimam Dominacionem Vestræ litteras, quae opera et studio Iosti Ludovici, secretarii regii, debuerunt ad manus Illustrissimæ Dominacionis Vestræ pervenire.^{d)} Quae si pervenerunt necne, rogo dignetur me Illustrissima Dominacio Vestra facere cerciorem. Mitto eciam nunc quae nuper ex Buda allata sunt mercatoribus nostris. Mitto item quae scripsit mihi Dominus Ianussius Rechemberk. Serenissimum Dominum Regem Ioannem cum suis omnibus fama est Buda solvisse propter pestem esequre Maiestatem Suam non longe a Tranczinio, arce paterna. Miserum Regnum Hungariae non modo bellis arsit hiis annis, sed nunc et peste et fame laborat.^{e)}

Divus Rex Ferdinandus Lincii esse dicitur. Quid tamen nunc agat, mihi non constat.

Quod autem rem monetariam attinet, gratissimum est mihi, quod Illustrissima Dominacio Vestra in hoc negocio lente festinat et sese in omnibus voluntati regiae paritaram scribit. Meo iudicio nihil Maiestas

Regia et Regnum in hoc decernet, nisi quod cedet in utriusque vestrum laudem et commodum.^{f)} Gedanensibus (ut antea scripsi) dedi quidem litteras intercessorias in hoc negocio, sed dedi tales, quales (spero) non multum fructum sunt eis allaturaे. Exegerunt enim eas a me. Quis autem ex animo quidpiam polliceri cui potest, si vi extorquet? Non est igitur cur glorientur de suffragio litterarum mearum.^{g)}

Postremo quod attinet conventum Illustrissimae Dominacionis Vestrae cum clarissimo viro Domino Principe Frederico Legnicensi, qui invitavit Illustrissimam Dominacionem Vestram ad colloquendum de rebus illis, quae attinent non modice statum Principum nostrorum et Regni Poloniae.^{h)} Subinde scribit Illustrissima Dominacio Vestra, quid ipsa colligat ex tali conventu et quid suspicetur. Hoc ipsum et ego, Illustrissime Domine Frater maior charissime, meditor et in animo revollo. Subodoravi de hoc eciam aliunde. Res pernecessarias Illustrissima Dominacio Vestra significavit, et proinde gratissimas Maiestati Regiae et Regno futuras, non quod per se optime sint, sed quod hiis malis, quae imminent, tempori consuli et occurri potest. Quicquid habet Illustrissima Dominacio Vestra, quod scire deceret Maiestatem Regiam et me, rogo non parcat calamo assitque consiliis suis prudentissimis.ⁱ⁾ Sacra Maiestas Regia (ut ex litteris nepotis mei, Domini Zborowski,^{j)} Pincernae Regni Poloniae didici, data autem litterarum fuit ex oppido Byelsko prope fines Regni) gracia Deo recte valet, ita quod post aegritudinem illam nunquam melius.

Iam Maiestas Sua Regia Radomii constituta est, ubi exactis tribus aut quattuor diebus postmodum Petrcoviam proficiscetur. Regina cum pueris Cracoviam se recipiet et hic Maiestatem Regiam ex Conventu reddituram expectabit.

Ego eciam post triduum recta Petrcoviam hinc proficiscar, ubi Maiestatem Regiam conveniam et manus deosculabor, et in commendanda persona Illustrissimae Dominacionis Vestrae Regiae Maiestati officium meum exequar.

Curabo item omni studio et diligencia de tollendo illo theloneo, quod communibus foederibus obstare scribit Illustrissima Dominacio Vestra^{k)}... Ex arce Cracoviensi, die penultima Novembris, anno Domini MDXXVIII.

Eciā mitto Illustrissimae Dominacioni Vestrae quae hiis diebus mihi scripsit Dominus Ioannes Perstinski.^{l)} Hoc ea ratione facio, ut quae ego scio, Illustrissima Dominacio Vestra non ignoraret.

Christophorus de Schidlowyecz, Castellanus et Capi-taneus Cracoviensis ac Regni Poloniae Cancellarius etc.

^{l)} Vestre Illustrissime Dominacionis deditissimus servitor et frater manu sua.^{m)}

a) *hic alia manu subscripta sunt verba:* Fiat graciārum actio cum verbis decentibus.

b) *alia manu subscriptum:* scribi ut supra.

c) *in margine alia manu:* Fiat excusatio, quia commissum, sed non peractum. Mitto iterum.

d) *in margine alia manu:* pervenerunt.

e) *alia manu additum:* graciārum actio

f) *in margine alia manu:* de moneta nunc intellexit, quia egerim, rogetur ergo ut prius.

g) *alia manu additum:* ad articula singula (*lectio incerta*) verba decencia.

h) *in margine alia manu:* mitto iterum litteras ab eo ad me datas.

i) *in margine alia manu:* et istut est consilium meum, quia tela praevisa (*in ms. praefixa*) minus ledunt, neque parcam calamo.

j) *in margine alia manu:* graciās

k) *in margine alia manu:* vaccat

l-m) *manu propria.*

l) *Erhardus Queiss.*

2) *Martinus Zborowski.*

Bielsko, 5.XII.1529.

*Albertus Gasztold de Gieranony, palatinus Vilnensis, Magni Ducatus Lithuaniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de commissariis regiis ad determinandos fines inter Samogitiam et Ducatum Prussiae deputatis, qui tamen ob aquarum inundationem ad locum conventus cum commissariis ducis temporis pervenire non potuerunt.*

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime atque Preclare Princeps etc.

Cum Illustrissima et Preclara Celsitudo Vestra cum Sacra Maiestate Regia, Domino nostro clementissimo, constituerat designandos Commisarios, pro die festo Sancti Andree Apostoli, proxime preterito, super innovandis graniciebus utrinque et conservanda concordia regionum vicinarum et incolarum partis utriusque semovendis controversiis, scire itaque Illustrissima et Preclara Celsitudo Vestra dignetur, quod Commissarii prefati, ad inspiciendas et statuendas granicies per Sacram Maiestatem deputati, iam parati erant ad loca granicierum ipsarum convenire, conductoque Principe sese illic conferre proposuerant. Sed aulici Sacre Maiestatis Regie, qui ad preparandum iter erant missi, retulerunt ad loca granicierum predictarum non posse pertransire nedum equites, sed nec pedites quidem, propter nimiam aquarum inundationem. Qui quidem Commissarii, hoc audiendo, mihi significarunt et ad Sacram Maiestatem Regiam pro informatione miserunt, quid agendum in hoc esset.

Interim vero Nuncius Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre ad me supervenit. Sicque ego, intentione Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre intellecta, misi ad Sacram Maiestatem Regiam pro informatione famulum meum per quem Sacre Maiestati Regie intentionem Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre descripsi, ut ipsa Sacra Maiestas Regia ad optata eiusdem pro die Epiphaniarum Domini terminum pro innovandis et statuendis graniciebus ipsis, vel quando Sue Maiestati visum fuerit, Commissariis predictis prorogari precipiat, atque ut ibi proprius de Pyothrkowy Illustrissime et Preclare Celsitudini Vestre per suum cubicularium significare dignaretur. Quamvis vero Sacra Maiestas Regia eidem per cubicularium suum in eo ipso negotio significare^{a)} curavit, ego, intellecta intentione Sacre Maiestatis Regie, non negligam reddere certiorem per meum famulum Illustrissimam et Preclaram Celsitudinem Vestram... Ex Byelsko, quinta die Decembris, anno Domini MDXXIX.

Eiusdem Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre
obsequentissimus

Albertus Gaschtolth, Heres de Murata Gyeranoyny.

a) supra lineam scriptum.

N. 159.

Petricoviae, 10.XII.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
pro falconibus sibi missis gratias agit.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 422.

H B A, B 2, K.352.

N. 160.

Petricoviae, 14.XII.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de litteris ducis in frequenti Senatu lectis et de Gedanensium et Elbingensium molimini bus vehementer improbat; mittit exempla litterarum ex Hungaria, Moravia et Norimberga.*

Vest. sigilli.

Iam ed.: A.T.XI, 424.

H B A, B 2, K.352.

N. 161.

Petricoviae, 15.XII.1529.

*Ioannes Chojeński, archidiaconus Cracoviensis,
Alberto in Prussia duci
de Gedanensium et Elbingensium in re monetaria conatibus publico
Senatus decreto compescendis; mittit exemplum responsi Sigismundi
regis ad litteras ducis [Janussii] Opoliensis (quod hic non invenitur
annexum).*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 424.

H B A, B 2, K.352.

Golinin, 15.XII.1529.

*Adrianus Gołyński, castellanus Czernensis,
Alberto in Prussia duci
iterum pro Matthia Dorsz, oppidano et mercatore Przasnissensi, ut ei
a praefecto Szczytnensi merces retentae restituantur.*

Sigill.

(Cum duabus schedulis)

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Domine etc.

Pro litteris humanissimis, per eandem Illustritatem mihi nuper destinatis, multimodas gracias ago et eidem Illustritati Vestre in dies deservire curabo. Quibus Illustritas Vestra mihi dignata erat intimare, quomodo Prefectus Illustritatis Vestre in Sczithno debuisset illa subdito Sacre Regie Maiestatis et tenute mee, pro quibus ad eandem Illustritatem Vestram posterioribus litteris meis intercedebam, restituere ex integro. Cum tamen ad eundem Prefectum Illustritatis Vestre litteras meas, una cum litteris Illustritatis Vestre, per prenominatum Dorsz, subditum Sacre Regie Maiestatis, destinavi, petens, ut eidem recepta restitueret, qui non animadvertis mandata Illustritatis Vestre et petitiones meas postponens, eidem unum equum vix restituit cum tribus capeciis lini, et medium currus. Cetera vero restituere renuit, ymmo eundem loco restitucionis in carceres imposuit et ad prestanda iuramenta illicita eundem compulit.

Quapropter Illustritas Vestra dignetur strictius Prefecto Illustritatis Vestre mandare, ut huic pauperrimo homini per eundem sibi recepta viceversa restituat, sic quod mandatum Illustritatis Vestre non sit inane. Et ego id Illustritati Vestre, quoad vixero, studebo promereri... Ex Golinin, feria quarta post Lucie Dive, anno salutis 1529.

Adrianus Golinski, Cirnensis Castellanus
Eiusdem Vestre Illustritatis servitor
et Capitanus Cyechonoviensis.

Schedula adjuncta:

Sciat iterum Vestra Illustritas, quod is subditus Sacre Regie Maiestatis et tenute mee coemebat linum in terra Vestre Illustritatis ante inhibitionem, per Prefectum Vestre Illustritatis factam, et non post.

*Altera schedula *):*

Cum has meas ad Illustrissimam Dominationem Vestram obsignasse, venerunt mihi aliae literae de clade Serenissimi Domini Ioannis Hungariae Regis, quae in hoc variant, quod idem Rex in maiori committatu huc in Polonię venisset. Praeterea qui illinc veniunt, diversa diversi narrant.

*) *schedula haec huc probabiliter non pertinet, sed cum in Archivo hic posita sit, hic eam relinquimus.*

Petricoviae, 19.XII.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de ducis et ducissae contagione « novae pestis » affectorum restituta sanitate gaudet; de Sigismundi Augusti in regem Poloniae electione et proclamatione; cum hac notitia Alexium Ligęza (in ms. Ligaza) ad ducem mittit; Stanislaum Kostka a Stemberg commendat.

Vest. sigill.

(Annexum: Litterae reginae Bonae ad Szydłowiecki, quibus gaudium suum exprimit ob Sigismundi Augusti in regem electionem)

Iam ed.: A.T.XI, 428 (sine annexo, quod hic publicamus).

H B A, B 2, K.352.

Annexum: Bona regina Poloniae ad Christophorum Szydłowiecki, 20.XII.1529.

Bona, Dei gratia Regina Polonie, Magna Dux Lithuanie, Russie tociusque Prussie ac Masovie etc. Domina.

Magnifice, Spectabilis, sincere nobis Dilecte.

Perlectis Sinceritatis Tue litteris tanta nos animi alacritas invasit, ut vix nostri compotes esse videremur. Quid enim letius, quid felicius audire poteramus, post Serenissimi Regis, Domini et consortis nostri colendissimi, optatissimam sanitatem, quam unanimi et concordi tum Dominorum Senatorum utriusque status, tum terrestrium nunciorum voto, Illustrissimum Principem Sigismundum Secundum, Magnum Lithuanie Ducem, ad paternum et regale solium sublimatum evectumque esse. Quod felicissimum auspicatissimumque sit, et rerum omnium Conditori immortales egimus gratias, quas ubertim indies referendi est animus. Tue autem Sinceritati pro tam incomparabili vigilantia, integerrima fide et observantia ingentes agimus et habemus gratias, quod nos, nihil huiusmodi sublimationis ad presens sperantes, tam inopino et singulari gaudio per celerem nuncium suum et litteras implere et cumulare sategit. Faxit Deus, ut ea se quandoque offerat occasio, ut pares vices vel saltem non immeritas rependere valeamus Tue Sinceritati. Quam diu sanam et felicem esse percupimus. Datum Cracovie, die XX Decembris, MDXXIX.

Ad mandatum Sacre Maiestatis Reginalis
proprium.

Varsaviae, 22.XII.1529.

Anna dux Masoviae

Alberto in Prussia duci

de filio duci nato gratulatur.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime Princeps etc.

Habemus et agimus immensas gratiarum actiones de hac avisacione et tante leticie nobis pro singulari voluptate nostra per litteras et Oratorem suum insinuacione. Nam vehementer gaudemus de filio, Vestre Illustritati benignitate Dei Omnipotentis nato, et desyderio Vestre Illustritatis, tanquam Domino et amico gratioso, acquiescere haud deessemus, si id digne pudicicie et condicioni nostre virginali liceret, non gravaremur itinere neque aliqua molestia pro complacentia et honestate Vestre Illustritatis et domus eiusdem. Nam in omnibus Vestre Illustritati, tanquam Domino et affini charissimo, complacere parati sumus. Et eidem Oratori Vestre Illustritatis lacius perferre commisimus rogamusque, dignetur hanc nostram excusacionem tam dignam amicissime et animo gratissimo acceptare. Cui nos commendamus sanamque et incolumem diu valere optamus. Datum Varschovie, feria quarta proxima ante festum Natalis nostri Salvatoris, anno eiusdem MDXXIX.

Anna, Dei gratia Dux Masovie, Russie etc.

a) wlaszna raka.^{b)}

a).b) *manu propria.*

N. 165.

Petricoviae, 24.XII.1529.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,
Alberto in Prussia duci
de filio duci nato gaudet et Paulum Płotowski, praepositum et canonicum
Varmensem et plebanum in Niepołomice, eam ob causam cum gratulationibus ad ducem mittit, qui etiam nomine suo infantem e sacro baptismatis fonte levabit.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 432.

H B A, B 2, K.352.

N. 166.

Petricoviae, 27.XII.1529.

*Martinus Zborowski, capitaneus Odolanoviensis,
Alberto in Prussia duci
de filio duci nato gratulatur et rogit, ut dux filium suum in numerum servitorum suorum censeat.
(Germanice)*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 438.

H B A, B 2, K.352.

N. 167.

Petricoviae, 27.XII.1529.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

Nicolaum Nibschtz et iuvenem Felicem de Allen (Althen), nuper aulicum regium, nunc aulicum ducis, commendat.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XI, 437.

H B A, B 2, K.352.

N. 168.

Tykocin, 27.XII.1529.

Albertus Gasztołd, palatinus Vilnensis, Lithuaniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

de termino dislimitationis finium Ducatus Prussiae a rege [Sigismundo I] ad sequentem annum dilato.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

Illustrissime atque Preclare Princeps etc.

Actepi ex litteris Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre, nuper mihi per cubicularium suum missis, auctam domum nato filio. Cui quam maxime gratulor et indies Deum Omnipotentem deprecor, ut domus hec, que ex stirpe regia Domini Domini nostri clementissimi procedit, augeatur quam felicissime. Gratias itaque habeo immortales Illustrissime et Preclare Celsitudini Vestre de benevolentia hac, qua me prosequi dignatur, et de nativitate filii sui significare non dedignatur. Quod autem scribit Illustrissima et Preclara Celsitudo Vestra de prorogando termino ad dislimitationem et innovationem granitierum, per Sacram Maiestatem Regiam constituto, paucis intelligere velit. Domini etenim Commissarii designati iam parati erant illicque se indies conferre pro termino statuto per Sacram Maiestatem Regiam, pro festo videlicet Sancti Andree Apostoli proxime preterito, intenderant, sed inconstantia hyemis et nimia hic aquarum inundatio eosdem prohibuit. Sicque Sacra Maiestas Regia, intellecto eo, quod copia aquarum hic in loco dislimitationis et innovationis granitierum ipsarum esset, hoc idem negotium in sequentem annum differre dignata est, pro tempore videlicet autunnali vel hyemali, cum hyems constantior atque validior fuerit. Hec prorogatio termini, per Sacram Maiestatem Regiam facta, si placebit, Sacre Maiestati Regie vel mihi animum suum per litteras exponat. De adventu vero hic ad Illustrissimam et Preclaram Celsitudinem Vestram meo, ut cum Commissariis deputatis venirem gratia nonnullarum conferentiarum, ut litteris suis iubet, id non est mee voluntatis. Sed quos ipsa Sacra Maiestas Regia deputavit, ipsi futuri sunt. Ego vero nedum mandatis Illustrissime et Preclare Celsitudinis Vestre sum paratus obedire, sed et nutibus ipsis... Ex castello meo Thykoczyn ipso die Sancti Ioannis Ewangeliste, anno Domini MDXXIX.

Eidem Illustrissime et Preclare Celsitudini Vestre
obsequentissimus Albertus Gasztołd
Heres de Murata Gyeranoyny.

1530

N. 169.

Petricoviae, 1.I.1530.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

gratulationes ex occasione novi anni mittit; commendat uxorem et liberos defuncti doctoris [Friderici] Fischer, olim cancellarii ducis.

Sigill.

H B A, B 2, K.352.

N. 170.

Cracoviae, 2.I.1530.

Severinus Boner

Alberto in Prussia duci

de cupro rubeo duci Cracoviae emendo et Gedanum defluitando; de filio duci nato gratulatur; de Sigismundi Augusti in regem electione et aliis rebus novis iam ducem bene edoctum esse putat.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XII, 1.

H B A, B 2, K.353.

N. 171.

Cracoviae, 7.I.1530.

Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae cancellarius,

Alberto in Prussia duci

litteras ducis ad Ianuissium ducem Opoliensem in causa Georgii mar- chonis Brandenburgensis, ducis Alberti fratris, expedire se non potuisse significat, quoniam eiusdem fere tenoris litterae iam a rege [Sigismundo I] ad eundem ducem missae erant, quibus responsum est; de restituta ducis valetudine gratulatur; pro libello de antidotis contra pestem gratias agit; de re monetaria; de differendo ad aliud tempus termino revidendorum limitum; pro imaginibus depictis ducis et ducissae gratias agit.

Sigill.

Iam ed.: A.T.XII, 11.

H B A, B 2, K.353.

N. 172.

Cracoviae, 8.I.1530.

*Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius,
Alberto in Prussia duci
de negotio rei monetariae ad futurum conventum Cracoviae celebrandum
dilato; de regis iunioris [Sigismundi Augusti] coronatione 20 Fe-
bruarii futura; pro antidoto contra pestem gratias agit; de negotio
Iannis Nimpesch (Niemth) sibi a duce commendato.*

Sigill.

Iam ed.: A.T.XII, 12.

H B A, B 2, K.353.

N. 173.

Cracoviae, 16.II.1530.

*Christophorus Szydłowiecki, castellanus Cracoviensis et Regni Poloniae
cancellarius,
Alberto in Prussia duci
duci et ducissae Cracoviam venturis Paulum Plotowski, praespositum et
canonicum Varmensem, obviam mittit, ut eos nomine suo salutet
et excipiat; de ducis et ducissae adventu etiam ab utroque rege
et regina Bona alacriter expectato.*

Sigill. Autogr.

Iam ed.: A.T.XII, 44.

H B A, B 2, K.353.

N. 174.

Cracoviae, 1.IV.1530.

*Sigismundus rex Poloniae
universis
confirmat privilegia Statuum et Ordinum terrarum Prussiae, praesertim
ad electionem novi regis pertinentia.
(Exemplar probabiliter a Christophoro Szydłowiecki duci missum)*

H B A, B 2, K.353.

Sigismundus, Dei gratia Rex Polonie, Magnus Dux Lituanie, Russie
tociusque Prussie ac Masovie etc. Dominus et Heres.

Manifestum facimus universis, qualiter privilegia et libertates Statibus
et Ordinibus terrarum nostrarum Prussiae, tam ecclesiasticis quam secu-
laribus, a maioribus nostris concessa et concesse ac per nos confirmata
et confirmate, inter alia id potissimum continent, ut dicti Ordines et

Status Prusiae ad futurorum Regum Polonie, quocienscunque super eleccione et coronacione illorum deliberacionem fieri contingat, ad eleccionem et coronacionem vocari et admitti debeant. Quia tamen in eligendo Serenissimo Principe Domino Sigismundo Secundo, Rege Polonie et Magno Duce Lituaniae, filio nostro charissimo, hoc ipsum pretermissum est, non data quidem opera, sed quod nobis viventibus et Regno nondum vacante, magisque divina ordinacione quam humano consilio eleccio ipsa Sue Maiestatis contigit.

Considerantes tantam predictorum Statuum et Ordinum terrarum nostrarum Prusiae erga nos et Serenissimam Familiam nostram fidem, affectum et observanciam, ut hanc ipsam eleccionem Serenissimi filii nostri, preter vocacionem eorum factam, approbaverint, et similiter ipsum eligendo ratam atque gratam habuerint, nolentesque, ut per huiusmodi eleccionem, ad quam vocati non erant, aliquid in posterum privilegiis et libertatibus dictorum Statuum et Ordinum earundem terrarum nostrarum Prusiae derogaretur, decernimus, ut deinceps, quocienscunque Regem decedere et Regnum vacare, aut eleccionem quomodocunque celebrare contigerit, Domini Consiliarii ordinis utriusque Regni Polonie antequam ad eleccionem procedant, prius predictos Status et Ordines terrarum Prusiae de hac ipsa novi Regis eleccione cerciores faciant ac eosdem ipsos Status, secundum antiquam consuetudinem et contenta privilegiorum eorum, ad eam vocent et admittant.

Volentes preterea, pro tanta eorum in nos et filium nostrum charissimum integratite, vicissim eis providere, ut et ipsi in suis iuribus et privilegiis ac libertatibus consuetudinibusque approbatis absque ullo conservarent detimento, pollicemur illis presentibus litteris nostris, quod quandocunque ipse Serenissimus filius noster post mortem nostram ad etatem legittimam, nempe ad annos quindecim completos, perveniens, possessionem Regni et dominiorum nostrorum adire voluerit, tenebitur illis id totum prestare, quod antecessores nostri Reges Polonie, et nos ipsi prestimus ex debito. Ad quod eius Maiestatem, ut filium et successorem nostrum, tenore presencium obligamus, videlicet: quod iurare debet omnia iura, libertates et privilegia, litteras immunitatesque earundem terrarum Prusiae, tam ecclesiasticas quam seculares, ecclesiis, tum ipsis terris earundemque Prelatis, Baronibus, nobilibus, civibus, incolis et quibuslibet personis, cuiuscunque status et condicionis existentibus, per divos predecessores nostros, Principes tam spirituales quam seculares, Reges et Dominos terrarum predictarum, iuste et legittime donatas et concessas et per nosmet ipsos confirmatas, manutener, servare, custodire in omnibus condicionibus atque punctis, et omnia illicite ab eisdem foris alienata aut distracta, pro posse suo, ad proprietatem earundem terrarum. Terminos eciam earum non minuere, sed pro virili defendere et dilatare. Et quam diu hoc ipsum iuramentum Maiestas Sua prestiterit et huic debito suo regio non satisficerit, ipsi universi Status et Ordines earundem terrarum et civitatum nostrarum Prusiae ad servandum iuramentum suum, quod Maiestati Sue prestiterunt, non erunt astricti neque obligati. Verum quandocunque post mortem nostram supradictis Ordinibus idem Serenissimus filius noster, in estate legittima existens, satisficerit et huiusmodi iuramentum debitum prestiterit, universi earundem terrarum nostrarum Prusiae Status et Ordines, subditi nostri, illi, ut vero et legitimo Domino et Regi suo coronato, omnem fidelitatem et obedienciam obsequiaque, secundum iuramentum a se illi factum, prestare et exhibere tenebuntur. In cuius rei testimonium

